De mutis personis quae in tragoedia atque comoedia Attica in scaenam producuntur

Dissertatio inauguralis

quam ad summos in philosophia honores
ab amplissimo philosophorum ordine Halensi
rite capessendos

scripsit

Gerhardus Richter
Kiloniensis

Halis Saxonum MCMXXXIV
Typis expresserunt Gebauer-Schwetschke

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulerunt
Otto Kern et Ernestus Diehl

Examen rigorosum habitum est pr. Kal. Iun. MCMXXXIII.

PARENTIBVS CARISSIMIS

Conspectus

Notae et index gravissimorum librorum quibus usus sum

AbhGWG.	=	Abhandlungen der Kgl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen.
BphW.	=	Berliner philologische Wochenschrift.
GGN.	=	Göttinger Gelehrte Nachrichten.
Hermes		
Mnemosyne		
NJb.	=	Neue Jahrbücher.
NPhU.	=	Neue Philologische Untersuchungen.
Philologus		
PhU.	=	Philologische Untersuchungen.
RE.	=	Pauly-Wissowa-Kroll-Mittelhaus, Realenzyclopädie.
RGVV.	=	Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten.
RhM.	=	Rheinisches Museum.
SBBerl.	=	Sitzungsberichte der Berliner Akademie.
SBMünch.	=	Sitzungsberichte der Bayr. Akademie zu München.
SBSächs.	=	Sitzungsberichte der Sächsischen Akademie.
ZGw.	=	Zeitschrift für das Gymnasialwesen.

Arnoldt, Chor. Techn.	=	R. Arnoldt, Chorische Technik des Euripides. Halle 1878.
Bethe, Prolegomena	=	E. Bethe, Prolegomena zur Geschichte des Theaters im Altertum. Leipzig 1896.
Howald, Griech. Trag.	=	E. Howald, Die griechische Tragödie. München-Berlin 1930.
Koob	=	H. Koob, De mutis quae vocantur personis in Graecorum tragoediis. Diss. Hal. 1882 (Diss. phil. Hal. V, p. 247ss.).
Pohlenz, Griech. Trag. I, II	=	M. Pohlenz, Die griechische Tragödie I, II. Leipzig-Berlin 1930.
Westphal, quaest. scaen.	=	Guil. Westphal, Quaestiones scaenicae. Diss. Hal. 1919.
Wilamowitz, Aisch. Interpret.	=	U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Aischylos Interpretationen. Berlin 1914.
Wilamowitz, Anal. Eurip.	=	U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Analecta Euripidea. Berolini 1875.
Wilhelm, UdA.	=	A. Wilhelm, Urkunden dramatischer Aufführungen in Athen. Wien 1906.
Zielinski, Altatt. Kom.	=	Th. Zielinski, Gliederung der altattischen Komödie. Leipzig 1885.

Index editionum

Aeschyli tragoediae, ed. Ud. de Wilamowitz-Moellendorff, ed. maior Berolini 1914.
Aristophanis comoediae, ed. Hall-Geldart. Oxonii 1906.
Berliner Klassiker-Texte (= BKT.).
Comicorum Atticorum Fragmenta, ed. Kock.
Euripides fabulae, ed Murray. Oxonii 1901.
Menandri reliquiae in Papyris et membranis servatae, ed. Chr. Jensen (Auct. Weidmann. I). Berolini 1929.
Sophoclis fabulae, ed. Pearson. Oxonii 1923.
Supplementum Euripideum, ed. H. v. Arnim. Bonnae 1913.
Supplementum Sophocleum, ed. E. Diehl. Bonnae 1913.
Tragicorum Graecorum Fragmenta^2, ed. Nauck (= Nauck^2).

Ad scaenicas fabulas agendas res publica Atheniensium ex Aeschyli aetate duos, ex Sophoclis aetate tres actores[1]), choregus chorum et mutas personas praebuit. Quod choregi munus ex Plut. Phoc. c. 19 conicimus: *Καί ποτε θεωμένων καινοὺς τραγῳδοὺς Ἀθηναίων, ὁ μὲν τραγῳδὸς εἰσιέναι μέλλων βασιλίδος πρόσωπον ᾔτει κεκοσμημένας πολλὰς ὀπαδοὺς πολυτελῶς τὸν χορηγόν.* — Mutae personae quidem formam habitum personam histrionis referunt neque tamen histriones sunt[2]). Quae personae nulla verba loquentes „*κωφὰ πρόσωπα*" vel „*δορυφορήματα*" vocantur[3]). Qua ex significatione effici cogique potest mutas personas in prioribus fabulis Graecorum comites principum fuisse, *δορυφόρους*, hastatos regum satellites[4]).

Priusquam in singulis fabulis fragmentisque quae supersunt Aeschyli Sophoclis Euripidis Aristophanis Menandri mutas personas demonstrare incipio, pauca de rebus scaenicis quinti saeculi dicam. Koobius[5]) perpaucas mutas personas („non plures quam duos comites") reges in fabulis prodeuntes secutas esse dicit, cum chorum in orchestra, actores in scaena, quae sit separata ab orchestra, egisse opinetur. Qua de causa equos et currus, in quibus sedentes histriones inducuntur, non in orchestram, sed in scaenam intrantes facit. Illa scaena, in quam Koobius actores inducit, angustior est quam ut magnae mutarum personarum multitudines, quas a poetis produci ex verbis poetarum concludi potest, prodire possint.

---

[1]) Arist. poet. IV. 1449a. 15ss.: *καὶ τό τε τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασεν, τρεῖς δὲ καὶ σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς.* Diog. Laert. III. 34: *Θέσπις ἕνα ὑποκριτὴν ἐξηῦρεν ὑπὲρ τοῦ διαναπαύεσθαι τὸν χορόν, καὶ δεύτερον Αἰσχύλος, τὸν δὲ τρίτον Σοφοκλῆς.* cf. vitas Aeschyli et Sophoclis (Westermann, *Βιόγραφοι*, Brunsvigae 1845, p. 117ss., 126ss.). — cf. C. Listmann, Die Technik des Dreigesprächs in der griech. Tragödie. Diss. Giess. 1910, p. 5ss. et H. Kaffenberger, Das Dreischauspielergesetz in der griech. Tragödie, Diss. Giess. 1911, p. 90ss.

[2]) Hippocr. Nom. 2, 5: *ὡς γὰρ ἐκεῖνοι σχῆμα μὲν καὶ στολὴν καὶ πρόσωπον ὑποκριτοῦ ἔχουσιν, οὐκ εἰσὶ δὲ ὑποκριταί.* (cf. de illo Hippocratis libro Wilamowitzium Hermes LIV, 1919, p. 46ss.)

[3]) Et. Magn. 283; Schol. Voss. ad Lucianum (ed. Rabe) de hist. conscr. 4; Plut. quaest. conviv. VII. 6, 20, p. 709 C; Athen. V. p. 190 E; Luc. Tox. 9.

[4]) cf. Aesch. Cho. 769; Eur. El. 616; Ar. Eq. 448.

[5]) Koob, p. 247ss.

Maximi enim est momenti, quod chorus et histriones in quinti saeculi theatro non in separatis locis egerunt[1]), ut ex Poll. IV. 123 cogi potest: *καὶ σκηνὴ μὲν ὑποκριτῶν ἴδιον, ἡ δὲ ὀρχήστρα τοῦ χοροῦ.* Sed dubium non est, quin Pollux testis minoris auctoritatis sit, cuius explicationes non quinti saeculi theatrum, in quo chorus tanta auctoritate florebat, quantam quarto saeculo non iam habebat, respiciunt[2]). — Udalricus de Wilamowitz[3]) priores Aeschyli fabulas (Supplices, Persas, Prometheum[4]), Septem contra Thebas) apud podium, quod in media orchestra[5]) exstructum sit, actas esse, Betheus[6]) actores in prioribus Aeschyleis fabulis in ultima orchestrae parte ante *σκηνήν*, in qua histriones vestes mutabant, egisse arbitratur. Qui locus aeque altus erat atque orchestra, in qua chorus saltabat. Postea — quinto saeculo exeunte — locus, quo histriones agebant, altior factus est. Sed tam pauci gradus exstructi sunt, ut chorus in scaenam et actores in orchestram pervenire possint[7]). Quibus gradibus exstructis significatio verbi „*σκηνή*" mutatur; „*σκηνή*" non solum domum, in qua histriones vestes mutabant, sed etiam locum, qui gradibus separatus est ab orchestra, significat.

Chorus et histriones igitur et histrionum comites uno loco agebant, qui tantus erat, ut cum chorum tum multas mutas personas reciperet. In posterioribus demum Euripidis fabulis illud spatium ante scaenam situm ab orchestra separatum est, actores in scaenam, chorus in orchestram producuntur. Sed interdum histriones et chorus ab orchestra decedentes in scaenam ascendunt (ut Betheus[7]) e fabulis posterioribus Euripidis et comoediis Aristophanis demonstrat), ut credere possimus paucos gradus saeculo quinto exeunte in theatro inter scaenam et orchestram esse exstructos. — Quarto saeculo actores in scaena egerunt, quae multo altior fuit quam orchestra et angustior quam ut multae mutae personae a poetis produci potuerint[8]); nec diu unquam tenetur idem theatri modus ac species.

---

[1]) cf. Iulium Hoepken, De theatro Attico saeculi a. Chr. quinti. Diss. Bonn. 1884.

[2]) cf. E. Fiechter, Die baugeschichtliche Entwicklung des antiken Theaters. München 1914, p. 66; I. Hoepken, l. c. p. 12.

[3]) Wilamowitz, Aisch. Interpret. p. 6ss.; quem sequitur Ferdinandus Noack, *Σκηνὴ τραγική*, Universitätsprogr. Tübingen 1915.

[4]) Aug. Frickenhaus (Die altgriech. Bühne, Straßburg 1917, p. 11) Prometheum iam in scaena separata actam esse opinatur.

[5]) cf. W. Dörpfeld et E. Reisch, Das griechische Theater. Athen 1896, p. 26—30; Fr. Krause, Quaestiones Aristophaneae scaenicae. Diss. Rost. 1903; Marg. Bieber, Die Denkmäler zum Theaterwesen im Altertum. Berlin—Leipzig 1920, p. 71.

[6]) Bethe, Prolegomena, p. 90ss.

[7]) Bethe, Prolegomena, p. 208ss.; quem sequitur C. Fensterbusch, Die Bühne des Aristophanes, Diss. Lips. 1912; cf. E. Fiechter, l. c. p. 67.

[8]) cf. Menandri comoedias p. 72ss., 79.

Aeschylus.

Supplicum fabulam, quam antiquissimam Aeschyli fabularum, quae ad nos pervenerunt, servatam esse inter omnes fere constat[1]), paulo post annum 499 actam esse Fridericus Focke docet[2]). Qua in tragoedia mutae personae non singulae, sed semper complures concluso agmine in scaenam producuntur.

Magnam cohortem scutatam atque hastatam (v. 182) Pelasgum regem curru vectum (v. 183) v. 234—523 comitari ex verbis poetae cognoscere possumus. Danaus enim hos milites appropinquantes videt: v. 180ss.[3]) *ὁρῶ κόνιν, κτλ.*

Pelasgus precibus Danai (v. 492) motus partem militum Danaum comitari iubet:

v. 500 ss. *στείχοιτ' ἄν, ἄνδρες, κτλ.*

Illum manipulum Danaus v. 980 intrans dicit, gratias agens Pelasgis

v. 985 s. *ὁμοῦ δ' ὀπαδοὺς τούσδε καὶ δορυσσόους*
ἔταξαν.

Num Pelasgus iterum prodiens (v. 911—969) cum satellitibus producatur, ex poetae verbis videre non possumus; nobis tamen putandum est, cum armata Aegyptiorum caterva Pelasgo interveniente Danaides e manibus emittat. Ut id efficiatur, auctoritas regis non sufficit; sed etiam multi adducuntur milites, qui Aegyptios barbaros repellant.

Praeconem v. 836—953 in scaena versantem multis armatis stipatum esse ex verbis Pelasgi

v. 939 *εἴσει σύ τ' αὐτὸς χοἰ ξυνέμποροι σέθεν*

et ex diverbio praeconis et chori ducis (v. 836ss.) concluditur, unde apparet vi agi et Danaides ancillasque earum corripi.

Ancillae Danaidum 1—1034 mutae adstant; Pelasgus eas commemorat

v. 954 *ὑμεῖς δὲ πᾶσαι σὺν φίλαις ὀπάοσιν.*

Danaidum chorus eas alloquitur:

v. 977 *τάσσεσθε, φίλαι δμωίδες.*

v. 1023 *ὑποδέξασθε δ' ὀπαδοὶ μέλος.*

v. 1034 ancillae canentes[4]) Danao Danaidibusque praecedentibus sensim exeunt.

---

[1]) cf. G. Müller, De Aeschyli Supplicum tempore atque indole. Diss. Hal. 1908.

[2]) Fr. Focke, GGN. 1922, p. 165—188.

[3]) chorum equitum accedere similibus verbis indicatur Ar. Eq. 245:
ὁ κονιορτὸς δῆλος αὐτῶν ὡς ὁμοῦ προσκειμένων.

[4]) Wilamowitzius ancillis versus 1035—52, 1054, 1056, 1059, 1061 attribuit.

In Persis, quae fabula anno 472 data est[1]), regis matrem v. 155 progredientem ab ancillis servisque deduci conicimus ex v. 607ss.

τοιγὰρ κέλευθον τήνδ' ἄνευ τ'ὀχημάτων
χλιδῆς τε τῆς πάροιθεν ἐκ δόμων πάλιν
ἔστειλα.

Quibus e versibus intellegere possumus reginam in priore ingressu (v. 155) curru vectam esse et alios currus eam secutos esse[2]). Complures igitur comites et servae et servi, qui equos curruum ducant, regis matrem magno cum splendore et magnifico habitu[3]) procedentem sequuntur. — Iterum introiens (v. 598) regina ancillas, quas iterum et chorus et regina non alloquuntur, secum ducit. Quas in scaena adesse cognoscimus ex v. 609—618, in quibus apparatus sacrificii describitur:

παιδὸς πατρὶ πρευμενεῖς χοὰς
φέρουσ', ἅπερ νεκροῖσι μειλικτήρια,
βοός τ' ἀφ' ἁγνῆς λευκὸν εὔποτον γάλα,
τῆς τ'ἀνθεμουργοῦ στάγμα, κτλ.

Regis mater tantas res enumerat, ut sola eas portare non possit; servae igitur dominam adiuvant[4]). — Versus autem 605

βοᾷ δ'ἐν ὠσὶ κέλαδος οὐ παιώνιος

non ad ancillarum lamentationes, sed ad chori canticum (532—597) referendus est.

Weckleinius[5]) ex v. 1036

γυμνός εἰμι προπομπῶν

cogendum esse Xerxem 908 solum intrare negat, sed paucos milites eum comitari existimat. Poeta autem, ut regem victum esse demonstret, eum solum discissa veste[6]) in scaenam producere voluit[7]). Versus 1017

ὁρᾷς τὸ λοιπὸν τόδε τᾶς ἐμᾶς στολᾶς

non ad Persarum milites regum comitantes, sed ad currum, quo

---

1) cf. argumentum fabulae; cf. Wilhelm, UdA., p. 11, 18.

2) Nam interpretamur „ὀχήματα" non currum unum, sed currus complures; cf. Eur. Alc. 66s. ἵππειον ὄχημα; Rhes. 621 ὄχημα πωλικόν; Iph. T. 410 νάιον ὄχημα („ὄχημα" translatum est ad navem.); Soph. Trach. 656 πολύκωπον ὄχημα ναός; Aeschylus et aliis in fabulis plurali utitur, sed dubium non est, quin illis locis (Prom. 468 λινόπτερα ὀχήματα et Suppl. 183 ξὺν ἵπποις καμπύλοις τ'ὀχήμασι) complura vehicula intellegenda sint.

3) Habitus reginae magnificus ex v. 608 (χλιδή) conici potest.

4) cf. quae in vasibus illustrata sunt: Mon. Inst. X. 1878 Tav. LIVa, 2; CVA. Louvre III. Id p. 15 no. 1.

5) Teuffel-Wecklein, ed.[4] p. 12.

6) v. 1030 πέπλον δ' ἐπέρρηξ' ἐπὶ συμφορᾷ κακοῦ.

7) cf. Pohlenz, Griech. Trag. p. 45.

in orchestram vectus est[1]), et ad reliqua arma, quae rex manu tenet[2]), pertinet.

Weckleinius[3]) conici posse dicit regis matrem v. 908 mutam personam Xerxem secutam esse. Regina v. 851 de scaena decedit, ut Darei iussu (v. 832—836) Xerxi novas afferat vestes:

v. 849 s. ἀλλ' εἶμι καὶ λαβοῦσα κόσμον ἐκ δόμων
ὑπαντιάζειν παιδί πως πειράσομαι.

Sed id argumentum fingit poeta, ut eam de scaena semoveat, ne consolatio matris summae desperationi obstare possit[4]). Praeterea contra hanc Weckleinii sententiam dicendum est Xerxem matri obviam datum non esse, cum rex victus veste discissa squalida (v. 1030) in scaenam inducatur. Spectatoribus autem existimandum est regem prius advenire quam regina in aedibus regiis morata novas vestes comportaverit.

Prometheum vinctum fabulam Aeschyleam non retractatam esse Carolus Robert[5]), Ud. de Wilamowitz[6]) Ioh. z. Felde[7]), Alfredus Körte[8]), Fridericus Focke[9]) docuerunt. Tragoediam poetae ignoti esse, qui fabulam circa annum 424 docuerit, et nonnulla ab histrionibus interpolata esse censent Ericus Bethe[10]), Alfredus Gercke[11]), Franciscus Niedzballa[12]); nuperrime Guilelmus Schmid[13]) Prometheum vinctum ab Aeschylo fictum esse negat[14]). — Quo quidem anno fabula acta fuerit, incertum est; tragoediam post annum 475 in scaenam delatam esse constare videtur[15]).

Initio huius fabulae Vis et Robur ingens Promethei corpus in scaenam ferunt. Vis ab histrione agitur, Robur poeta mutam personam in scaenam mittit. Quam personam adesse ex Vulcani verbis, quibus illos daemones alloquitur, cognoscimus

---

1) v. 1000 s. ἀμφὶ σκηναῖς τροχηλάτοισιν.
2) v. 1020 τόνδε τ' ὀιστοδέγμονα.
3) Teuffel-Wecklein, ed.[4] p. 12.
4) cf. Wilamowitz, Aisch. Interpret. p. 46.
5) Robert, Hermes XXXI (1896), p. 561 ss.
6) Wilamowitz, Aisch. Interpret. p. 114—158.
7) Ioh. zum Felde, De Aeschyli Prometheo quaestiones. Diss. Gott. 1914.
8) Körte, N Jb. 1920, p. 201—213.
9) Focke, Hermes LXV (1930), p. 259 ss.
10) Bethe, Prolegomena, p. 159—185 (cf. Hermes LIX, 1924, p. 111). SB-Sächs. 71 (1919), p. 27, 2.
11) Alfr. Gercke, ZGw. LXV (1911), p. 104 ss.
12) Fr. Niedzballa, De copia verborum et elocutione Promethei vincti q. f. Aeschylei. Diss. Bresl. 1913.
13) W. Schmid, Untersuchungen zum gefesselten Prometheus. Tüb. Beitr. IX (1929).
14) Gualtherus Kranz (Stasimon. Berlin 1933, p. 226 ss.) ex formis stasimorum cogit στάσιμον α' Aeschyli esse, cetera stasima retractata esse ab ignotis poetis; cf. infra p. 76.
15) cf. Howald, Griech. Trag., p. 75, 81; intra annos 475 et 468 Geffcken.

v. 12 s. *Κράτος Βία τε, σφῷν μὲν ἐντολὴ Διὸς*
ἔχει τέλος δή, κοὐδὲν ἐμποδὼν ἔτι.

Quae persona sine consilio a tragico produceretur, nisi Prometheus lignea figura esset. Ut spectatores hanc figuram Prometheum esse putent, Aeschylus duos ingentes daemones, qui eum portent, producit[1]). Ligneam figuram in scaenam adportatam esse ex poetae verbis

v. 64 s. *ἀδαμαντίνου νῦν σφηνὸς αὐθάδη γνάθον*
στέρνων διαμπὰξ πασσάλευ' ἐρρωμένως.

apparet[2]).

Multae mutae personae in fabula, quae inscribitur Septem contra Thebas, a poeta inducuntur. Initio fabulae, quam anno 467 actam esse ex argumento discimus, contio civium Thebanorum, in quibus et iuvenes (v. 10 s.) et senes (v. 11 s.) inveniuntur, habetur. Quos cives Eteocles 1—3 alloquitur: ,,*Κάδμου πολῖται*" *κτλ.* et 30 ss. omnes ad muros defendendos mittit:

ἀλλ' ἔς τ' ἐπάλξεις καὶ πύλας πυργωμάτων
ὁρμᾶσθε πάντες, σοῦσθε σὺν παντευχίᾳ,
πληροῦτε θωρακεῖα, κἀπὶ σέλμασιν
πύργων στάθητε, καὶ πυλῶν ἐπ' ἐξόδοις
μίμνοντες εὖ θαρσεῖτε, μηδ' ἐπηλύδων
ταρβεῖτ' ἄγαν ὅμιλον.

Num Eteocles primo ingressu a nonnullis militibus pedisequis armigeris stipatus sit, ex poetae verbis concludi non potest. Eteocles v. 286 exit, ut sex duces eligat[3]):

v. 282 ss. *ἐγὼ δέ γ' ἄνδρας ἓξ ἐμοὶ σὺν ἑβδόμῳ*
ἀντηρέτας ἐχθροῖσι τὸν μέγαν τρόπον
εἰς ἑπτατειχεῖς ἐξόδους τάξω μολών.

Rex, ut nuntii relationem audiat, v. 372 redit. Omnes sex duces ab Eteocle nominatos regem 372 introeuntem sequi Butlerus et Blomfieldus opinati sunt[4]). Wilamowitzius[5]) autem hos duces stationes iam iniisse existimat, quoniam neque Eteocles neque chorus eos alloquatur. Sed in Supplicibus et in Persis multae mutae personae inveniuntur, quas — ut supra demonstravi — chorus et actores nusquam alloquuntur. Ab illis sententiis recedens Weckleinium[6]) sequor ratum tres duces iam antea (inter versus 286

---

[1]) cf. Wecklein, ed.[2] p. 19 s.

[2]) cf. Wilamowitz, Aesch. Interpret. p. 114/115; Körte, N Jb. 1920, p. 206; Schmid, l. c.

[3]) Nuntius regi suaserat 57 s.

πρὸς ταῦτ' ἀρίστους ἄνδρας ἐκκρίτους πόλεως
πυλῶν ἐπ' ἐξόδοισι τάγευσαι τάχος.

[4]) Blomfield, Aesch. Sept. c. Thebas. adnot. ad v. 404.

[5]) Wilamowitz, Aesch. Interpret. p. 75 s.

[6]) Wecklein, ed. p. 9 s.

et 372) selectos ad portarum custodiam missos esse, Polyphontem, (447), Hyperbium (504), Actorem (555), sed Melanippum, Megareum, Lasthenen mutas personas adstare, qui deinde ab Eteocle nominati (414, 474, 620) abeunt et ad designatas portas defendendas festinant. Quae opinio probatur pronomine demonstrativo „τόνδε“ (408, 472) et futuris „ἀντιτάξω“ (408) et „ἀντιτάξομεν“ (621); perfectum „τέτακται“ (448), aoristi „ᾑρέθη“ (505) et „Ἑρμῆς δ' εὐλόγως συνήγαγεν“ (408), praesens historicum „ἔστιν“ (533) rem iam actam esse demonstrant. Quos tres portarum defensores Eteoclem comitantes, simulatque nominantur, abire verisimile non est, sed eos tum demum, cum rex singulos laude afficiens orationes singulas finivit, choro deos invocante a scaena discedere pro certo habeam.

Eteoclem sequuntur non solum illi duces, sed etiam pedisequi vel servi, e quibus unum ocreas, hastam, scutum afferre iubet:

v. 675 s.: φέρ' ὡς τάχος
κνημῖδας, αἰχμὴν καὶ πέτρων προβλήματα.

Eteoclis et Polynicis cadavera in orchestram portantur:

v. 847 τάδ' αὐτόδηλα, προὔπτος ἀγγέλου λόγος.

Complures igitur ministri, qui feretra portant, prodeunt. Num exsequias fratrum praeter Antigonen et Ismenen milites vel ministri muti sequantur, ex verbis tragici cognosci non potest.

Orestiam anno 458 scaenae commissam esse constat[1]). — In Agamemnone ancillas Clytaemestrae v. 264—354 in orchestra versari ex v. 83 ss. videre possumus; chorus de regina, quae aras regiae sacrificiis afficit, 83 ss. loquitur tantasque aras et tanta dona enumerat, ut sacrificii apparatus a Clytaemestra sola portari non possit[2]):

v. 88 ss. πάντων δὲ θεῶν τῶν ἀστυνόμων
ὑπάτων χθονίων,
τῶν τ' οὐρανίων τῶν τ' ἀγοραίων
βωμοὶ δώροισι φλέγονται.
ἄλλη δ' ἄλλοθεν οὐρανομήκης
λαμπὰς ἀνίσχει
φαρμασσομένη χρίματος ἁγνοῦ
μαλακαῖς ἀδόλοισι παρηγορίαις
πελάνῳ μυχόθεν βασιλείῳ.

Num Clytaemestra iterum intrans (v. 587) ab ancillis deducta sit, ex poetae verbis intellegi non potest. Sed regina non sine comitibus ex regiae porta processit; semper enim Aeschylus Clytaemestram cum ancillis, ut auctoritatem demonstret reginae, in scaenam inducit:

---

[1]) cf. argumentum.

[2]) cf. Aesch. Pers. 609 ss.: Regis mater ab ancillis, quae magnum sacrificii apparatum portant, deducta est.

multae ancillae v. 835—974 reginam comitantur, stragula purpurea portantes, quibus dominae iussu

v. 908 ss. δμωαί, τί μέλλεθ', αἷς ἐπέσταλται τέλος
πέδον κελεύθου στορνύναι πετάσμασιν;
εὐθὺς γενέσθω πορφυρόστρωτος πόρος,
ἐς δῶμ' ἄελπτον ὡς ἂν ἡγῆται δίκη,

viam a curru Agamemnonis ad regiam sternunt. Una ex illis servis pedes regis, qui precibus obsequitur uxoris, excalceat:

v. 944 s. ὑπαί τις ἀρβύλας
λύοι τάχος, πρόδουλον ἔμβασιν ποδός.

Agamemno rex v. 782 curru vectus[1]) intrat. Quem currum satellites non comitari Wilamowitzius[2]) censet. Sed nonnullos ministros, qui equos ducant et v. 972 abducant, sequi verisimile est. Multos comites armatos vel milites, cum caedi obstare potuissent, poeta in orchestram mittere non poterat. Complures milites cum Aegistho introeuntes v. 1577—1675 in scaena adsunt. Quam catervam armatorum, qui v. 1650 Aegisthi iussu

εἶα δή, φίλοι λοχῖται, τοὔργον οὐχ ἑκὰς τόδε

gladios stringunt, in scaenam producens poeta demonstrat cives Argivos in tyranni potestatem cadere.

In Choephoris Clytaemestram non solum servae, sed etiam servi comitantur, e quibus unum saluti peregrinorum consulere regina iubet:

v. 712 ἄγ' αὐτὸν εἰς ἀνδρῶνας εὐξένους δόμων.

Paucos ministros Oresten et Pyladen sequi apertum est, cum Clytaemestra eos commemoret

v. 713 ὀπισθόπους τε τούσδε καὶ ξυνέμπορον.

Orestes v. 973 ss. cum ad domus ministros, a quibus circumdatus est, tum ad cives Argivos, qui paulatim in orchestram introeunt, orationem habet. Omnes adstantes alloquitur:

v. 973 ἴδεσθε χώρας τὴν διπλῆν τυραννίδα.
v. 980 ἴδεσθε δ' αὖτε, τῶνδ' ἐπήκοοι κακῶν,

et v. 983 s. ministros pallium Agamemnonis ceteris adstantibus monstrare iubet:

v. 983 s. ἐκτείνατ' αὐτὸ καὶ κύκλῳ παρασταδὸν
στέγαστρον ἀνδρὸς δείξατε.

Weckleinius[3]) autem ex v. 980 (ἐπήκοοι κακῶν) et ex v. 983 (κύκλῳ παρασταδόν) chorum, non ministros vel alias mutas personas Oresten circumstare cogit. Etiam scholiastes adnotat ad v. 983: „πρὸς τὸν χορόν". Sed verisimile est praeter chorum familiam et servas et servos, e quibus unus ab histrione actus mortem Agamemnonis

[1]) Regem curru in orchestram vectum esse ex v. 1070 sequitur.
[2]) Wilamowitz, Aesch. Trag.; Agam. adn. ad v. 782.
[3]) Wecklein, Orestie; Choeph. adnot. ad v. 981.

nuntiaverat (v. 875ss.), in orchestra adesse, et praeter hos paulatim orchestram civibus Argivis impleri, qui de caede certiores facti in regiam festinant. Cui civium coronae Orestes novum dominum et regem se praebet[1]). — In turba ministrorum et servorum Pylades versatur, qui in primis scaenis nunquam proloquitur. Orestes amicum, qui v. 1—584 et v. 653—718 in orchestra adest, v. 20 alloquitur: *Πυλάδη, σταθῶμεν ἐκποδών*, et v. 561 eum memorat:

ἥξω σὺν ἀνδρὶ τῷδ' ἐφ' ἑρκείους πύλας.

v. 668 Clytaemestra Oresten et Pyladen alloquitur:

ξένοι, λέγοιτ' ἄν, εἴ τι δεῖ,

confer et v. 713: *καὶ ξυνέμπορον.* Tertium progressus Pylades, cuius partes ab actore, qui paulo ante (usque ad v. 886) personam obtinuit ministri, suscipi necesse est[2]), pauca verba (v. 900—902) facit. Recte adnotatur in scholiis ad v. 899: *μετεσκεύασται ὁ ἐξάγγελος εἰς Πυλάδην, ἵνα μὴ δ' λέγωσιν.*[3]) — In prioribus autem partibus huius fabulae Pyladen a muta persona repraesentatum esse ex v. 657 concludimus: in scaena enim adsunt Orestes, Pylades, minister ianitor, quem conspici v. 655 (*ἐκπέραμα δωμάτων*) manifestum est[4]). Quoniam minister v. 663ss., quibus verbis mandatum, quod v. 668 peragi videmus, datur, in scaena versatur, idem actor et partibus Clytaemestrae v. 668 iam procedentis et partibus ianitoris non perfungitur, cum tempus minus sit quam ut vestes mutari possint; Pyladen igitur, qui tacens adstat, non actor, sed *κωφὸν πρόσωπον* repraesentat. Facile Aeschylus Pylade et muto et colloquente carere potuit; sed cum Pylades hac cum fabula ita sit coniunctus, ut omitti non possit[5]), tragicus et muta persona et actore utitur, qui hisce partibus fungantur[6]).

In Eumenidibus Mercurium mutam personam cum Apolline (v 64) intrare intellegitur ex iis, quae Apollo 89ss. loquitur:

σὺ δ', αὐτάδελφον αἷμα καὶ κοινοῦ πατρός,
Ἑρμῆ φύλασσε· κάρτα δ' ὢν ἐπώνυμος
πομπαῖος ἴσθι, τόνδε ποιμαίνων ἐμὸν
ἱκέτην.

Oresten manu ducens paulo post (v. 93) digreditur.

---

[1]) cf. Wilamowitz, Aisch. Interpret. p. 178.

[2]) cf. W. Schadewaldt, Monolog und Selbstgespräch. Untersuchungen zur Forschungsgeschichte der griech. Tragödie (NPhU. I), Berlin 1926, p. 91, 1.

[3]) cf. Blass, Choeph. p. 180.

[4]) cf. Blass, Choeph. p. 152; schol. ad v. 655: *τὸ ἐκπέραμα λέγει τὸν διάκονον τὸν εἰσιόντα καὶ ἐξιόντα πρὸς τὰς ἀποκρίσεις.* — Wilamowitzius (ad v. 653) ianitorem non in orchestram prodire existimat adnotans: „respondet vox atriensis".

[5]) cf. Pind. Pyth. XI. 15; argumentum Nostorum fin. (cf. Wilamowitzium, Hermes XVIII, 1883, p. 221).

[6]) Personas fabulae credo inter tres histriones ita fuisse distributas, ut partes Orestis et nutricis *πρωταγωνιστής*, partes Electrae, Clytaemestrae, Aegisthi *δευτεραγωνιστής*, partes ministri et Pyladis (tertium ingredientis) *τριταγωνιστής* ageret.

Post v. 566 orchestra multis mutis personis, quae Minervam sectantur, impletur. Primus init praeco, qui tubae signum dat. Quem Minerva v. 566ss. alloquitur:

κήρυσσε, κῆρυξ, καὶ στρατὸν κατειργαθοῦ,
ἥ τ' οὖν διάτορος Τυρσηνικὴ
σάλπιγξ, βροτείου πνεύματος πληρουμένη,
ὑπέρτονον γήρυμα φαινέτω στρατῷ.[1])

Sequuntur Areopagitae[2]); Minerva v. 488 abierat, ut eos eligeret. In scholiis adnotatur[3]) poetam parachoregemate[4]) usum esse. Parachoregemate autem opus non est, cum Areopagitae *κωφὰ πρόσωπα* sint. Quos iudices voce compellant histriones et chorus, ut eos re vera intravisse luculentissime appareat[5]):

Apollo v. 614 s. *λέξω πρὸς ὑμᾶς, τόνδ' Ἀθηναίας μέγαν θεσμόν.*
v. 620 *βουλῇ πιφαύσκω δ' ὕμμ' ἐπισπέσθαι πατρός.*
v. 679 s., 748 s.;
Minerva v. 742 s. *ἐκβάλλεθ' ὡς τάχιστα τευχέων πάλους,*
ὅσοις δικαστῶν τοῦτ' ἐπέσταλται τέλος.
v. 949 *ἦ τάδ' ἀκούετε, πόλεως φρούριον.*
chorus v. 643 *ὑμᾶς δ' ἀκούειν ταῦτ' ἐγὼ μαρτύρομαι.*

Cum his affluit in orchestram magna civium corona. Quos cives praeco retinet Minervae iussu:

v. 566 *καὶ στρατὸν κατειργαθοῦ.*
v. 569 *(σάλπιγξ) φαινέτω στρατῷ.*

Dea ipsa v. 681 ss. Athenienses alloquitur:

κλύοιτ' ἂν ἤδη θεσμὸν Ἀττικὸς λεώς.

v. 995 chorus et Minerva cives appellat: *χαίρετε.* Guilelmo Westphal, qui populum a poeta in orchestram mitti negat[6]), obloquor; poeta enim, ut auditoribus Atheniensibus Areopagum a Minerva constitutum monstret, multis mutis personis, quae iudicio intersunt, uti cogitur. G. Westphal, qui cives commenticias fuisse personas opinatur, concedit[7]) persaepe in Graecorum fabulis orchestram mutarum personarum plenam fuisse[8]); non habemus, quod cives

---

[1]) Illos versus afferens coniecturam Wilamowitzii sequor.

[2]) cf. schol. adn. ad. v. 566: *κληρώσασα Ἀθηνᾶ τοὺς ἀρίστους ἄγει δικάσοντας.*

[3]) ad v. 573: *ἐν παραχορηγήματι αὐτῷ εἰσιν οἱ Ἀρεοπαγῖται μηδαμοῦ διαλεγόμενοι.*

[4]) Polluce auctore (IV. 110) parachoregemata nuncupamus actores extraordinarios, cum chorego extra ordinem essent exhibenda.

[5]) Praeterea Minerva et Apollo saepe eos adstantes demonstrant (v. 570, 674 s., 684 s., 629 s.).

[6]) Westphal, quaest. scaen. p. 49 s.

[7]) l. c. p. 50.

[8]) G. Westphal commemorat Aesch. Suppl., Sept. c. Th., Soph. Oed. R., Aristoph. Pac.; neque intellego, cur in Eumenidibus multas mutas personas, quae populum repraesentent, induci W. neget.

Athenienses, quos actores alloquuntur, revera non adesse putemus. Etiam Wilamowitzius[1]) haud exiguam civium coronam in scaena versari credit.

Sacerdotes Minervae faces gerentes v. 1003 ex templo egrediuntur. Quas conspici ex verbis deae dilucide apparet:

v. 1005 *πρὸς φῶς ἱερὸν τῶνδε προπομπῶν.*
v. 1024 s. *ξὺμ προσπόλοισιν, αἵ τε φρουροῦσιν βρέτας τοὐμὸν δικαίως.*

Omnes quae adstant mutae personae, praeco, sacerdotes Minervae, populus Atheniensis agmine constituto v. 1032ss. e scaena discedunt.

Nioben in Aeschyli fabula, quae Niobe inscribitur, tacite in scaena versatam esse Aristophanes Ran. 911ss. commemorat:

πρώτιστα μὲν γὰρ ἕνα τιν' ἂν καθῖσεν ἐγκαλύψας
Ἀχιλλέα τιν' ἢ Νιόβην, τὸ πρόσωπον οὐχὶ δεικνύς,
πρόσχημα τῆς τραγῳδίας, γρύζοντας οὐδὲ τουτί.
κτλ.

Quam capite velato in cumulo filiorum filiarumque sedentem[2]) per tertiam fabulae partem tacuisse[3]) ex testimonio eius, qui vitam descripsit Aeschyli, scimus: *διὰ τὸ πλεονάζειν τῷ βάρει τῶν προσώπων κωμῳδεῖται παρ' Ἀριστοφάνει. ἐν μὲν γὰρ τῇ Νιόβῃ ἕως τρίτου μέρους ἐπικαθημένη τῷ τάφῳ τῶν παίδων οὐδὲν φθέγγεται ἐγκεκαλυμμένη*[4]). G. Haupt[5]) alteri actori partes Niobes, alteri partes Antiopes, Tantali, Mercurii tribuit. Sed quia disertissime scriptum est Nioben verba non fecisse, verisimile est eam duabus personis loquentibus, quae eam consolantur, non respondere et illam tertiam personam, quae capite velato Nioben repraesentabat, mutae tribuendam esse personae[6]). — Quamquam igitur quandam similitudinem veri in se habet Nioben a muta persona actam esse, tamen pro certo dici non potest, cum ex fragmentis conici non possit, quae personae et quot personae adfuerint. — Similiter in Phrygibus Achilles initio fabulae locutus per ceteras tragoediae partes tacuisse videtur[7]).

Ceteras Aeschyli fabulas, quae deperditae sunt, praeteream, quippe quarum perscrutatione *κωφὰ πρόσωπα* non inveniantur paucis parvisque fragmentis servatis.

---

[1]) Wilamowitz, Aesch. Trag.; Eum. adnot. ad v. 566.

[2]) Nauck², fr. 157. [3]) cf. Wilamowitz, Aisch. Interpret. p. 57s.

[4]) Wilamowitz, Aesch. Trag. p. 4.

[5]) G. Haupt, Commentationes archaeologicae in Aeschylum. Diss. Hal. XIII (1895/97), p. 105ss.

[6]) De Niobes fragmentis nuper repertis cf. p. 79.

[7]) cf. vitam Aeschyli (Wilamowitz, Aisch. Trag. p. 4): *ἔν τε τοῖς Ἕκτορος λύτροις Ἀχιλλεὺς ὁμοίως ἐγκεκαλυμμένος οὐ φθέγγεται πλὴν ἐν ἀρχαῖς ὀλίγα πρὸς Ἑρμῆν ἀμοιβαῖα.* — cf. Aristoph. Ran. v. 912. cf. Wilamowitz, Aisch. Interpret. p. 57s.

Sophocles.

Udalricus de Wilamowitz[1]) seriem fabularum, quae ad nos pervenerunt, hoc modo constituit: Ant., Aiac., Oed. R.; L. Radermacher[2]) tragoedias in hunc ordinem digessit: Ant., Aiac., Trach., Oed. R., El., Phil., Oed. Col.; quem ordinem mutavit Tycho de Wilamowitz[3]) hoc modo: Ant., Aiac., Oed. R., Trach., El., Phil., Oed. Col.

In Antigona[4]) Creon rex semper cum permultis ministris et servis in scaena versatur. Famulos eum iam v. 162 comitari ex verbis poetae intellegi non potest, nec chorus nec Creon illos voce compellat vel de iis loquitur. Nobis tamen licet conicere eum non solum adstare, cum Thebanos senes, ut iis novum regem se offerat et, quomodo saluti rei publicae consulere sibi proposuerit[5]), declaret, ad consilium convocaverit. Quos Creontis ministros v. 387—780 in scaena versari cognoscimus ex v. 491, 578, 760, quibus in versibus rex suos alloquitur:

v. 491 *καί νιν καλεῖτε.*
v. 577 s. *ἀλλά νιν*
κομίζετ' εἴσω, δμῶες.
v. 760 *ἄγετε τὸ μῖσος.*[6])

Ministri regis et custodes v. 801 Antigonen in orchestram ducunt et v. 943 abducunt, quod apertum est

v. 883 *ἆρ' ἴστ', κτλ.*
v. 885 ss. *οὐκ ἄξεθ' ὡς τάχιστα; καὶ κατηρεφεῖ*
τύμβῳ περιπτύξαντες, ὡς εἴρηκ' ἐγώ,
ἄφετε μόνην ἔρημον.

---

[1]) N Jb. 1912, p. 461; antea (anno 1899) Ud. de Wilamowitz hoc modo disposuerat: Ant., Oed. R., Aiac., El. (Hermes XXXIV, 1899, p. 59. 1).

[2]) L. Radermacher, Trach. Schneidewinii ed.[7] (1914) p. 38.

[3]) Tycho de Wilamowitz, Die dramat. Techn. d. Sophokles, PhU. XXII (1917).

[4]) Antigonen ante Aiacem doctam esse censent: Ud. de Wilamowitz, Anal. Eurip. p. 255; Hermes XVIII (1883), p. 234; BKT. V. 2, p. 71; N Jb. 1912. p. 461.; Tycho de Wilamowitz, PhU. XXII (1917), p. 51; L. Radermacher, Aias. Schneidewinii ed.[10] p. 35; H. Fischl, Wiener Studien XXXIV (1912), p. 47ss.; H. Siess, Wiener Studien XXXVI (1914), p. 244ss., XXXVII (1915), p. 27ss.; Howald, Griech. Trag. p. 101; v. Blumenthal, RE. III A 1, 1082 ss. Aiacem ante Antigonen datam esse opinantur R. Stählin, RGVV. XII. 1, 58 adn.; Schmid-Stählin, Geschichte der Griech. Literatur (Handbuch der Altertumswissenschaft VII) München 1934. I, 2 p. 329s.; Pohlenz, Gr. Trag. II p. 49s.

[5]) v. 184ss.: *ἐγὼ γάρ, ἴστω Ζεὺς ὁ πάνθ' ὁρῶν ἀεί,*
οὔτ' ἂν σιωπήσαιμι τὴν ἄτην ὁρῶν
στείχουσαν ἀστοῖς ἀντὶ τῆς σωτηρίας,
οὔτ' ἂν φίλον ποτ' ἄνδρα δυσμενῆ χθονὸς
θείμην ἐμαυτῷ, κτλ:
v. 191: *τοιοῖσδ' ἐγὼ νόμοισι τήνδ' αὔξω πόλιν.*

[6]) *ἄγετε* cod. A; *ἄγαγε* codd. LF.

v. 931 s. *τοιγὰρ τούτων τοῖσιν ἄγουσιν*
κλαύμαθ' ὑπάρξει βραδυτῆτος ὕπερ.

Etiam scholiastae famulos regis adstare opinantur, recte enim dicentes ad v. 883: *πρὸς τοὺς ὑπηκόους φησὶν ὁ Κρέων*, et aliter: *τοῦτο δὲ λέγει ὀργιζόμενος τοῖς ἄγουσιν Ἀντιγόνην.* — ad v. 932: *κλαύσονται οἱ ἄγοντες αὐτήν, ἐὰν ἔτι βραδύνωσιν.* — ad v. 933: *Ἀπειληθέντες ὑπὸ τοῦ Κρέοντος οἱ ὑπήκοοι, ἄξουσί με λοιπὸν ἐπὶ θάνατον.* — ad v. 937: *Λοιπὸν πρὸς βίαν αὐτὴν ἄγουσιν.* — Creontis ministri vocantur v. 1108 s.

ἴτ' ἴτ' ὀπάονες
οἵ τ' ὄντες οἵ τ' ἀπόντες.

v. 1320 s. *ἰὼ πρόσπολοι*
ἄγετέ μ' ὅτι τάχιστ', ἄγετέ μ' ἐκποδών.

v. 1339 *ἄγοιτ' ἂν μάταιον ἄνδρ' ἐκποδών.* —

Eurydicen v. 1183 intrantem nonnullae servae et ancillae, quae paulo post (v. 1090) cum ea discedunt, sequuntur; regina eas v. 1188 s. commemorat:

ὑπτία δὲ κλίνομαι
δείσασα πρὸς δμωαῖσι κἀποπλήσσομαι.

Tiresiam vatem caecum v. 988 puer mutus in scaenam adducit:

v. 988 s. *ἥκομεν κοινὴν ὁδὸν*
δύ' ἐξ ἑνὸς βλέποντε.

v. 1012 ss.[1]) *τοιαῦτα παιδὸς τοῦδ' ἐμάνθανον πάρα*
φθίνοντ' ἀσήμων ὀργίων μαντεύματα.
ἐμοὶ γὰρ οὗτος ἡγεμών.

v. 1087 *ὦ παῖ, σὺ δ' ἡμᾶς ἄπαγε πρὸς δόμους.*

In Aiacis fabula[2]) Sophocles Eurysacem Aiacis filium mutam personam ter in scaenam producit. Primum v. 545 Eurysaces a famulo deductus, qui — et ipse muta persona — paedagogus pueri est, intrat. Quem ministrum puerum manu ducentem introire apparet ex

v. 541 s. *δεῦρο προσπόλων*
ἄγ' αὐτὸν ὅσπερ χερσὶν εὐθύνων κυρεῖς.

v. 544 *καὶ δὴ κομίζει προσπόλων ὅδ' ἐγγύθεν.*

v. 545 *αἶρ' αὐτόν, αἶρε δεῦρο.*

Aiax v. 550 ss.

ὦ παῖ, γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος
τὰ δ' ἄλλ' ὅμοιος, κτλ.,

puerum alloquitur, qui v. 595 cum paedagogo Tecmessam matrem in tentorium ineuntem sequitur. — v. 784 Eurysaces a Tecmessa

---

[1]) Ad versum 1012 scholiastes adnotavit: *τοῦ ὁδηγοῦντος.*

[2]) cf. p. 20 adn. 4. — Fabulam post annum 431 actam esse existimat I. Geffcken, Literaturgesch. I, Anmerkg. p. 164, 67.

manu adducitur, quod ex v. 809, quo in versu mater eum alloquitur, concludi potest:

οἴμοι, τί δράσω, τέκνον; οὐχ ἱδρυτέον.

v. 1168 usque ad extremam fabulam Eurysacem cum Tecmessa mutum in orchestra versatum esse intellegere possumus ex

v. 1169 πάρεισιν ἀνδρὸς τοῦδε παῖς τε καὶ γυνή.

v. 1171 ss. Teucer ad eum se convertit:

ὦ παῖ, πρόσελθε δεῦρο, κτλ.,

et v. 1309 se et uxorem filiumque Aiacis ostendens dicit: βαλεῖτε χἡμᾶς τρεῖς ὁμοῦ συγκειμένους. v. 1409 ss. puerum iterum alloquitur:

παῖ, σὺ δὲ πατρός γ', ὅσον ἰσχύεις,
φιλότητι θιγὼν πλευρὰς σὺν ἐμοὶ
τάσδ' ἐπικούφιζ'.

Tecmessa v. 973 ultimum locuta v. 986[1]), ut puerum, quocum v. 1168 progreditur, adducat, scaenam relinquit. Unde (v. 1168) Aiacis uxor a muta persona repraesentata adstat. Apparet eam adesse ex v. 1168 s.

οἵδε πλησίοι
πάρεισιν ἀνδρὸς τοῦδε παῖς τε καὶ γυνή.

et ex. v. 1309 βαλεῖτε χἡμᾶς τρεῖς ὁμοῦ συγκειμένους.

Tres enim personae inter se colloquuntur: Teucer Agamemno Ulixes, ut histrio, qui adhuc partes Tecmessae obtinuit, personam Ulixis suscipiat et muta persona partibus Tecmessae perfungatur.

Praeter Tecmessam puerumque eius complures mutae personae, quae concluso agmine progrediuntur, hac in fabula inveniuntur. — Nonnullos ministros vel servos in scaena adstare effici potest ex chori verbis v. 344: ἀλλ' ἀνοίγετε. Illi famuli v. 593 ab Aiace voce compellantur: οὐ ξυνέρξεθ' ὡς τάχος; Aiax enim illis verbis non chorum, sed ministros, in quibus paedagogum Eurysacis iam supra commemoratum adstare conicere licet, alloquitur, quoniam in recessu Aiacis tentorium, in quo vel prope quod famulos verisimile est versari, intellegendum est. Etiam in scholiis Aiacem ministris illud mandatum dare adnotatur ad v. 593: τοῖς θεράπουσι κελεύει αὐτὴν ἀποκλείειν.

Nonnullos servos Tecmessam v. 784 ex tentorio exeuntem comitari videmus ex v. 804—806, quibus verbis Tecmessa omnes in orchestra versantes, ut Aiacem quaerant, in tres dividit partes:

v. 804 ss. καὶ σπεύσαθ' οἱ μὲν Τεῦκρον ἐν τάχει μολεῖν,
οἱ δ' ἑσπέρους ἀγκῶνας, οἱ δ' ἀντηλίους
ζητεῖτ' ἰόντες τἀνδρὸς ἔξοδον κακήν.

Chorum in duas partes esse divisum apparet, cum chorus bipartitus

---

[1]) Teucer Tecmessam iubet puerum arcessere v. 985 s.: οὐχ ὅσον τάχος δῆτ' αὐτὸν ἄξεις δεῦρο;

v. 866 intret[1]). Itaque tertia pars eorum, quos Tecmessa v. 804ss. alloquitur, ministri Aeacis et Tecmessae in orchestra adstantes sunt.

Teucrum v. 977 introeuntem nonnulli comitantur ministri, ex quibus unum corpus Aiacis detegere iubet:

v. 1003 *ἴθ' ἐκκάλυψον, ὡς ἴδω τὸ πᾶν κακόν.*

Scholiastes ad illum versum adnotat: *πρὸς τὸν χορόν φησιν ἤ τινα τῶν θεραπόντων*. Sed his verbis „*ἴθ' ἐκκάλυψον*" chorum, qui ex Salaminiis armorum sociis, quibuscum Aiax adversus Troiam profectus erat, compositus est, appellari verisimile non est. — Menelaus (v. 1047) et Agamemno (v. 1226) cum praeconibus progrediuntur, ut auctoritas regum appareat. Praecones Menelai in scaena adesse v. 1115 demonstratur:

πρὸς ταῦτα πλείους δεῦρο κήρυκας λαβών.

Praecones Agamemnonem sequi ex poetae verbis cognoscere non possumus. Sed similitudo scaenarum, in quibus Menelaus et Agamemno Teucro obsistunt, nos cogit existimare praecones etiam Agamemnonem v. 1226 procedentem comitari. Praeterea iam vidimus principes et reges in fabulis scaenicis semper stipatos a poetis induci.

Fabula Oedipodis regis quo anno scaenae commissa sit, incertum est; tragoediam intra annos 430 et 420 doctam esse Tycho de Wilamowitz[2]) suspicatur. — Initio huius fabulae permultae mutae personae in orchestra conspiciuntur[3]). Pompam supplicum et puerorum et senum, e quibus unus pompae dux Iovis sacerdos v. 14ss. colloquitur cum Oedipode rege, qui cum satellitibus mutis ex aedibus regiis prodit, ad aras deorum considere apparet ex Oedipodis sacerdotisque verbis:

v. 1 ss. *Ὦ τέκνα, Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφή,*
κτλ.,

v. 15 ss. *ὁρᾷς μὲν ἡμᾶς ἡλίκοι προσήμεθα*
βωμοῖσι τοῖς σοῖς· οἱ μὲν οὐδέπω μακρὰν
πτέσθαι σθένοντες, οἱ δὲ σὺν γήρᾳ βαρεῖς
ἱερεῖς — ἐγὼ μὲν Ζηνός — οἱ δ' ἔτ' ἠθέων[4])
λεκτοί.

et v. 31s., 41, 58ss., 142s., 147s. — Satellites Oedipodem comitari ex v. 144 intellegere possumus, quo versu rex ministrum ut cives

[1]) Similiter Sophocles Indag. 94, Euripides Or. 1258 chorum in duas partes dividit (cf. Vernerum Krieg, De Euripidis Oreste. Diss. Hal. 1934, p. 59 s.).

[2]) Tycho de Wilamowitz, l. c.

[3]) Hoc prologo Sophoclem Aeschyli fabulam Septem c. Thebas, cuius initio rex Thebanos cives alloquitur, imitatum esse observavit Ud. de Wilamowitz, Aisch. Interpr. p. 60.

[4]) *οἱ δ' ἔτ' ἠθέων* Elmsley; *οἱ δέ τ' ἠϊθέων* codd. LA; *οἱ δ' ἑξῆς θεῶν* F. Schubert; alii *οἱ δ' ἠϊθέων*, alii *οἵδε δ' ἠθέων*, alii *οἱ δ' ἐπ' ἠθέων*.

advocet mittit: *ἄλλος δὲ Κάδμου λαὸν ὧδ' ἀθροιζέτω.* Quibus verbis Oedipus non pueros supplices, quos iam v. 142 s. appellaverat, alloquitur; nam rex, qui delegatos populi Thebani auditurus intrat, non solus, sed cum multis ministris et satellitibus in scaenam producitur, ne cogatur nuntium ex adstantibus pueris selectum mittere. Partem horum famulorum, quae decesserat ut Tiresiam vatem advocaret, v. 300 redire cognoscimus

v. 297 s. *οἵδε γὰρ*
τὸν θεῖον ἤδη μάντιν ὧδ' ἄγουσιν.

Quibus verbis non Tiresiae puerum (de quo infra agam), sed ministros regis accedere indicatur. Duos enim nuntios ad vatem se misisse Oedipus v. 288 s. dicit:

ἔπεμψα γὰρ Κρέοντος εἰπόντος διπλοῦς
πομπούς.

Etiam Creonti v. 87 Delphis redeunti, quamquam eum a satellitibus esse stipatum ex poetae verbis conicere non possumus, tamen nonnullos comites, quos secum ducit, tribuam, quoniam Delphis revertens progreditur; et illum hoc iter Delphis Thebas non sine armatis fecisse apertum est[1]). — Illa supplicum et sacerdotum pompa et Creon cum suis v. 150 scaenam relinquunt.

Creon et Oedipus iterum intrantes (v. 532 et 512) satellites non commemorant.

V. 911—1073 reginam ancillae comitantur, e quibus unam Oedipodem vocare Iocaste iubet:

v. 945 s. *ὦ πρόσπολ', οὐχὶ δεσπότῃ τάδ' ὡς τάχος*
μολοῦσα λέξεις;

Non solum una, quam regina alloquitur, sed complures servae adsunt, quoniam Iocasten, dum ancilla v. 945 dimissa abest, solam adstare verisimile non est. Itaque non dubitamus, quin Iocaste v. 634 ingrediens ab ancillis deducatur.

Oedipodem v. 950 multi milites et ministri sequuntur, quorum nonnullos v. 1069 pastorem Laii senem adducere iubet:

v. 1069 *ἄξει τις ἐλθὼν δεῦρο τὸν βοτῆρά μοι.*

Redeunt illi v. 1110 pastorem illum ducentes:

v. 1114 s. *ἄλλως τε τοὺς ἄγοντας ὥσπερ οἰκέτας*
ἔγνωκ' ἐμαυτοῦ, [2])

---

[1]) Etiam Laius, qui ad oraculum consulendum profectus erat, complures secum duxerat armatos:

v. 750 ss. *Οἰδ· πότερον ἐχώρει βαιός; ἢ πολλοὺς ἔχων*
ἄνδρας λοχίτας, οἷ' ἀνὴρ ἀρχηγέτης;
Ἰοκ· πέντ' ἦσαν οἱ ξύμπαντες, ἐν δ' αὐτοῖσιν ἦν
κῆρυξ· ἀπήνη δ' ἦγε Λάιον μία.

[2]) cf. scholiastae verba ad v. 1110: *θεασάμενος δὲ ὁ Οἰδίπους τὸν πρεσβύτην ἐρχόμενον, ὃν μετεπέμψατο, στοχάζεται μὲν εἶναι αὐτὸν ἐκ τοῦ γήρως καὶ τῶν ἀγόντων οἰκετῶν.*

et v. 1154 eum comprehendunt Oedipodis iussu:

οὐχ ὡς τάχος τις τοῦδ' ἀποστρέφει χέρας.

Ministros Creontem v. 1422 progredientem comitari facile est intellectu:

v. 1425 s. *τὴν γοῦν πάντα βόσκουσαν φλόγα*
αἰδεῖσθ' ἄνακτος Ἡλίου.

v. 1429 *ἀλλ' ὡς τάχιστ' ἐς οἶκον ἐσκομίζετε.*

Unum vel nonnullos ex his ministris v. 1470 iussu Creontis, ut filias Oedipodis arcesserent, abisse concludimus, cum puellae v. 1472 intrent.

Praeter hos comites satellitesque agmine concluso in orchestram introeuntes (quos in nonnullis huiusce fabulae partibus non semper ex verbis poetae intellegi posse vidimus) singulae mutae personae a Sophocle inducuntur. — Tiresiam oraculorum interpretem (v. 298—461) et a ministris, quos iam supra commemoravi, et a puero[1]) adduci ex v. 444 elucet, quo versu vates caecus illum itineris ducem alloquitur: *καὶ σύ, παῖ, κόμιζέ με.*

Filiae Oedipodis Antigone et Ismene, tenerae aetatis puellae[2]), v. 1472 a Creontis ministris in scaenam ducuntur. Quas v. 1472—1530 adstare ex iis, quae Oedipus et cum iis loquitur et cum Creonte, cui curam earum commendat, cognoscere possumus:

v. 1480 *ὦ τέκνα, ποῦ ποτ' ἐστέ; δεῦρ' ἴτ', ἔλθετε.*

v. 1484 s. *ὃς ὑμῖν, ὦ τέκνα, οὔθ' ὁρῶν οὔθ' ἱστορῶν*
πατὴρ ἐφάνθην ἔνθεν αὐτὸς ἠρόθην.

et saepius v. 1486ss., 1505ss., 1511ss., 1521s. — Oedipus v. 1472 eas animadvertit; recte scholiastes adnotat ad hunc versum: *αἰσθάνεται τῶν θυγατέρων παρουσῶν.*

T r a c h i n i a s, quam fabulam anno 429 vel 430 ante Oedipodem regem actam esse Zielinskius[3]) existimavit, intra annos 420 et 410 actas esse Tycho de Wilamowitz docuit[4]). — Qua in fabula praeco captivas mulieres et virgines mutas ducit, ex quibus una, Iole, nomine compellatur (v. 381).

Quas intrantes ex verbis chori v. 222ss.

ἴδ', ὦ φίλα γύναι,
τάδ' ἀντίπρῳρα δή σοι
βλέπειν πάρεστ' ἐναργῆ.

et Deianirae, quae agmen appropinquare videt, intellegimus

v. 225 s. *ὁρῶ, φίλαι γυναῖκες, οὐδέ μ' ὄμματος*
φρουρὰν παρῆλθε, τόνδε μὴ λεύσσειν στόλον.

---

[1]) cf. hanc mutam personam in Soph. Ant. v. 988—1099.

[2]) Filias Antigonen et Ismenen infantes esse conicimus ex patris verbis v. 1489ss.

[3]) Th. Zielinski, Philologus LV (1896), p. 621ss.

[4]) T. de Wilamowitz, l. c. p. 89ss., 98.

Histriones, qui Lichae et Deianirae partes agunt, multis versibus eas commemorant (v. 244s., 283s., 299ss., 306)[1]). — Deianira v. 307ss. Iolen mutam adstantem alloquitur:

v. 307 ὦ δυστάλαινα, τίς ποτ' εἶ νεανίδων;

v. 320 εἴπ', ὦ τάλαιν', ἀλλ' ἡμὶν ἐκ σαυτῆς.

Captiva non respondet, dolor eam tacere iubet[2]). Non solum captivae cum Licha procedunt, sed etiam comites et captivarum custodes, quos adesse conicimus ex verbis nuntii et Deianirae

s. 336 οὕστινάς γ' ἄγεις ἔσω.

s. 342 s. πότερον ἐκείνους δῆτα δεῦρ' αὖθις πάλιν
καλῶμεν.

v. 344 σοὶ ταῖσδέ τ' οὐδὲν εἴργεται, τούτους δ' ἔα.

Scholiastes quidem censet (ad v. 336) et captivas et captivos a praecone adduci: ἦσαν δὲ καὶ ἄρσενες μετὰ τῶν αἰχμαλώτων. — Sed ad v. 344 adnotat: Τούτους δὲ ἢ τὰς αἰχμαλώτους καὶ τοὺς ἅμα δύντας ἀρσένας, ἢ τοὺς περὶ Λίχαν, opinatus illis verbis comites Lichae respici posse. — Verisimile enim esse arbitror non a praecone solo, sed a compluribus armatis has captivas duci, quarum numerum magnum fuisse ex v. 244s. concludimus

v. 244 s. ταύτας ἐκεῖνος Εὐρύτου πέρσας πόλιν
ἐξείλεθ' αὐτῷ κτῆμα καὶ θεοῖς κριτόν.

Haud difficile est cognitu Herculem v. 971 a ministris in feretro in orchestram portari. Quos famulos chorus iam v. 964 accedentes videt

ξένων γὰρ ἐξόμιλος ἥδε τις βάσις.

Afferam scholiastae verba (adnot. ad v. 963): ὁ χορὸς αἰσθάνεται τοῦ Ἡρακλέους πλησίον φερομένου, καὶ πλῆθος θρηνούντων ἐπακολουθούντων αὐτῷ. — ad v. 964: ἐκ τῆς βαδίσεως συνῆκεν τὸ φαινόμενον ἄθροισμα ξένων ἀνδρῶν εἶναι. οἷον βάδισις ξένων ἀνδρῶν ἐστι καὶ ἄλλου πλήθους συνέστηκεν. — ad v. 1021: οὔτε ἀπ' ἐμαυτοῦ οὔτε ἀπό τινος τῶν ξένων δύναμαι ἐξανύσαι. — Actores hos servos mutos alloquuntur v. 1005 ἐᾶτέ μ', ἐᾶτέ με δύσμορον εὐνᾶσθαι, et v. 1010[3]), v. 1079[4]), v. 1080, v. 1107[5]), v. 1255. — Ministri Herculem Hylli iussu v. 1264: „αἴρετ' ὀπαδοί" auferunt. Contra Koobium[6]), qui duas mutas personas plane sufficere existimat, hos servos non paucos fuisse mihi persuasum est. Respicientes enim v. 1079: „θεᾶσθε πάντες" cognoscere possumus Herculem non solum eos singulos qui eum ferunt, sed omnes adstantes, qui eum e bello redeuntem comitantur, ad-

---

[1]) cf. schol. adnot. ad v. 296: Γνωμολογεῖ ὁρῶσα τὰς αἰχμαλώτους.

[2]) cf. Tecmessam in Soph. Aiace 1168ss. et Eurydicen in Soph. Ant. 1244.

[3]) Scholiastes his verbis non ministros Herculem portantes, sed omnes Graecos, quos beneficiis affecerit, compellari putat.

[4]) schol. adnotat: ὁ λόγος πρὸς τοὺς περιεστῶτας.

[5]) schol. adnotat: ὦ παρόντες. [6]) Koob, p. 287.

vocare, ut iis corpus mutilatum ostendat. Qua de re scholiastes recte iudicavisse videtur: *ὁ λόγος πρὸς τοὺς περιεστῶτας*.

In Electra, quae post annum 420 in scaenam delata est[1]), Pylades muta persona Oresten v. 1 intrantem comitatur; intellegi potest eum adstare v. 15s.: *καὶ σὺ φίλτατε ξένων Πυλάδη*. — v. 39: *σὺ μέν*. — v. 51ss.: *ἡμεῖς δέ, κτλ.* — v. 95: *νὼ δ' ἔξιμεν*. — Nauckius[2]) eos versus, qui Pyladen mutam personam adesse demonstrant, interpolatos esse opinatur. Sed illa persona, ut iam p. 17 dixi, cum hac fabula, quae huic tragoediae argumentum praebuit, ita coniuncta est, ut poeta eam omittere non potuerit. Aeschylus in Choephoris partes Pyladis pauca verba loquentis actori dare potuit, Sophocles autem Pyladen mutam personam per totam fabulam, cum nunquam plures quam tres personae inter se colloqui possint[3]), producit. — Pylades Oresten v. 1—85, 1098—1393, 1422 —1436, 1470—1510 comitatur, quod intellegi potest et ex versibus iam commemoratis et ex v. 1107, 1323ss., 1367, 1373, 1422, 1429s., 1433. — Oresten et Pyladen aliquot famulos, qui vas ferunt, quo cineres Orestis contineri Orestes ficturus sit, sequi v. 1107 cognoscimus

Φωκῆς ματεύουσ' ἄνδρες Αἴγισθόν τινες.

Orestes eos alloquitur

v. 1123 *δόθ', ἥτις ἐστί, προσφέροντες.*

Etiam in scholiis adnotatur ad v. 1123: *εἰκὸς αὐτοῖς ἕπεσθαί τινας*.

Clytaemestram v. 516—803 in scaena versantem ancillae sacrificii apparatum portantes[4]), e quibus unam v. 634 *ἔπαιρε δὴ σὺ θύμαθ', ἡ παροῦσά μοι*, alloquitur, comitantur[5]).

Aegisthum v. 1442 introeuntem nonnullos comitari ministros apparet v. 1458, cum portas patefieri iubeat, ut omnia, quae intus sint, omnibus civibus palam monstrari possint:

v. 1458 s. *σιγᾶν ἄνωγα κἀναδεικνύναι πύλας*
πᾶσιν Μυκηναίοισιν Ἀργείοις θ' ὁρᾶν.

Quamquam ministri, qui portas patefaciant, non appellantur,

---

[1]) cf. Ud. de Wilamowitz, Hermes XVIII (1883), p. 242ss.; T. de Wilamowitz, l. c. p. 229; Pohlenz, Griech. Trag. I p. 325, II p. 90; Electram Sophoclis ante Electram Euripidis actam esse censent H. Steiger, Philologus LVI (1897) p. 561ss.; J. Vahlen, Ges. philol. Schriften II p. 354 (= Hermes XXVI, 1891, p. 351ss.); G. Kaibel, Sophokles Elektra. Leipzig 1896, p. 63; T. de Wilamowitz, l. c. p. 228ss.; Ud. de Wilamowitz, Hermes XXXIV (1899), p. 58 adn.; Electram Euripideam priorem esse putant E. Bruhn, Schneidewinii ed.[10], p. 13ss.; Pohlenz, Griech. Trag. II p. 89s.

[2]) Schneidewin-Nauck, El. ed.[9], adnot. ad v. 15s.

[3]) *Πρωταγωνιστής* Electram, *δευτεραγωνιστής* Clytaemestram et Oresten, *τριταγωνιστής* tres reliquas personas (paedagogum, Chrysothemin, Aegisthum) repraesentaverunt.

[4]) cf. ancillas mutas, quae reginam in Aesch. Pers. 609ss. et Clytaemestram in Aesch. Ag. 83ss. iuvant atque comitantur.

[5]) cf. scholiastae verba: *πρὸς θεράπαιναν φησι.*

tamen eos adesse ex illis verbis conicias. Cum Aegisthus ab Oreste in aedes regias pellatur, famulos, ne caedi obstare possint, remanere verisimile est.

Paucae inveniuntur mutae personae in Philoctetae fabula, quam anno 409 scaenae commissam esse didascalia docet in argumento servata. — Ulixem et Neoptolemum v. 1 ss. a satellitibus deduci v. 45 intellegimus, quibus verbis unus ex his ministris commemoratur:

τὸν οὖν παρόντα πέμψον εἰς κατασκοπήν.

Qui famulus illis verbis compellatus v. 48 scaena excedit: ἀλλ' ἔρχεταί τε. Scholiastes adnotat ad v. 45: ὥς τινος παρισταμένου αὐτῷ et ad v. 48: ἀπέρχεται ὁ θεράπων εἰς κατασκοπήν. — Ulixes v. 134 cum ceteris comitibus, qui eum v. 974 iterum sequuntur, scaenam relinquit. Quos pedisequos memorant

et Ulixes v. 982 s. ἀλλὰ καὶ σὲ δεῖ
στείχειν ἅμ' αὐτοῖς, ἢ βίᾳ στελοῦσί σε·

et Philoctetes v. 985 οἵ δ' ἐκ βίας ἄξουσιν.

Ulixes suos Philoctetam corripere iubet:

v. 1003 ξυλλάβετέ γ' αὐτόν,

v. 1054 ἄφετε γὰρ αὐτόν, μηδὲ προσπαύσητ' ἔτι.

Minister habitu mercatoris ab Ulixe v. 542 in scaenam missus socium ex iis, qui navis custodiendae causa remanserant, mutam personam secum ducit, ut ex v. 542 s. cogi potest:

τόνδε τὸν ξυνέμπορον
ὅς ἦν νεὼς σῆς σὺν δυοῖν ἄλλοιν φύλαξ.

In Oedipode Coloneo, quae fabula post poetae mortem anno 401 docta est, ministrum Ismenen v. 324 mulo in orchestram vectam[1]) comitatum esse ex verbis Ismenes apparet:

v. 334 ξὺν ᾧπερ εἶχον οἰκετῶν πιστῷ μόνῳ.

Satellites v. 351 Theseum regem sequuntur. Qui comites quamquam non commemorantur, tamen adsunt, quia regis comites in ceteris fabulae partibus, in quibus Theseus prodit, adesse semper cognosci potest. Nam ex v. 884 s. hos satellites v. 887 iterum progredi elucet, cum chorus Theseum comitesque eius advocet:

v. 884 s. ἰὼ πᾶς λεώς, ἰὼ γᾶς πρόμοι
μόλετε σὺν τάχει, μόλετ'.

Theseus unum ex illis ministris ad milites, qui apud aras versantur, mittit, ut eos Thebanos fugientes statim persequi iubeat:

v. 897 ss. οὐκ οὖν τις ὡς τάχιστα προσπόλων μολὼν
πρὸς τούσδε βωμούς, κτλ.,
v. 904 ἴθ', ὡς ἄνωγα, σὺν τάχει.

---

1) cf. v. 312 s.: Αἰτναίας ἐπὶ πώλου βεβῶσαν.

Quos Thesei armatos v. 1099 intrare chori verbis indicatur, qui eos accedentes videt:

v. 1097 s. τὰς κόρας γὰρ εἰσορῶ
τάσδ' ἆσσον αὖθις ὧδε προσπολουμένας.[1])

Antigone v. 1102 s. αἵδε γὰρ χέρες
Θησέως ἔσωσαν φιλτάτων τ' ὀπαόνων,

illos commemorat, qui Theseum, qui v. 1210 sacrificia perfecturus et Polynicen ad Oedipodem missurus recedit, sequuntur. — Theseum v. 1500—1555 aliquot comites secum ducere intellegere possumus

v. 1496 s. ὁ γὰρ ξένος σε καὶ πόλισμα καὶ φίλους ἐπαξιοῖ
δικαίαν χάριν παρασχεῖν παθών.

v. 1522 ss. ἀλλά, φίλτατε ξένων,
αὐτός τε χώρα θ' ἥδε πρόσπολοί τε σοὶ
εὐδαίμονες γένοισθε.

Satellites Thesei v. 1500—1555 in scaena versatos esse et ex verbis apparet nuntii, qui inter hos comites regis fuit et v. 1575 ab histrione repraesentatus chorum de Oedipodis morte certiorem facit:

v. 1587 ss. ὡς μὲν γὰρ ἐνθένδ' εἷρπε, καὶ σύ που παρὼν
ἔξοισθ', ὑφηγητῆρος οὐδενὸς φίλων,
ἀλλ' αὐτὸς ἡμῖν πᾶσιν ἐξηγούμενος.

cf. adnotationes scholiastae ad v. 1579: ἔστι δὲ ὁ ἄγγελος εἷς τῶν ἀκολουθησάντων Θησεῖ θεραπόντων. — v. 1751—1779 Theseum cum satellitum comitatu in scaena adesse chori verba arguunt

v. 1667 τοῦ δ' αἵ τε παῖδες χοἰ προπέμψαντες φίλων;

Illi „προπέμψαντες" igitur vel cum sororibus vel cum Theseo, qui v. 1751 intrans proloquitur, ingrediuntur.

Etiam Creontem v. 728—847 satellites armati, quos appropinquantes Antigone videt, prosequuntur

v. 722 s. ἆσσον ἔρχεται
Κρέων ὅδ' ἡμῖν οὐκ ἄνευ πομπῶν.

Creon illos milites Antigonen, quae v. 847 ab iis abducitur, corripere iubet 826 s.

ὑμῖν ἂν εἴη τήνδε καιρὸς ἐξάγειν
ἄκουσαν, εἰ θέλουσα μὴ πορεύσεται,[2])

et v. 847 οὐκ ἄξεθ' ὑμᾶς;

Scholiastae quoque verba afferam ad v. 826: τοῖς ἀκολούθοις δὲ ἑαυτοῦ φησιν ὁ Κρέων. — Non solum nonnulli ex his comitibus Antigonen abducunt, sed omnes Creontis milites e scaena discedunt Creonte solo remanente:

---

[1]) προσπολουμένας enim non simpliciter accedentes significat, sed accedentes cum comitatu famularum (cf. Dindorf, ed. adnot. ad v. 1098.).

[2]) πορεύσεται cod. A; πορεύεται cod L.

v. 875 κεἰ μοῦνός εἰμι.
v. 956 ss. ἐπεὶ
ἐρημία με, καὶ δίκαι' ὅμως λέγω,
σμικρὸν τίθησι.

Partes Ismenes, quae in priore fabulae parte (v. 324—509) inter colloquentes erat, v. 1099—1555 muta agit persona. Cum poeta v. 1099 iam tribus actoribus, qui partes Oedipodis, Antigones, Thesei obtineant, utatur, *κωφὸν πρόσωπον* suscipit personam Ismenes. Quam in scaena versari ex verbis chori, Antigones, Oedipodis, Polynicis (v. 1097, 1101, 1102, 1104s., 1107, 1108ss., 1255) luculentissime apparet; quibus e versibus hos tantum afferam:
v. 1104 *(Οἰδ·) προσέλθετ'.*
v. 1107 *(Οἰδ·) ποῦ δῆτα, ποῦ 'στον; (Ἀντ·) αἵδ' ὁμοῦ πελάζομεν.*
v. 1670—1779 Ismene iterum ab actore datur.

In Indagatorum[1]) fragmentis mutae personae nullo loco inveniuntur; num in ceteris deperditarum fabularum fragmentis[2]) *κωφὰ πρόσωπα* a Sophocle in scaenam missa sint, ex iis, quae possidemus, comprobari non potest.

Euripides.

In fabula Alcestidis, quam anno 438 actam esse ex didascalia discimus, filia Alcestidis et Admeti, Perimele, muta persona est (v. 244—434), Eumelus filius a parachoregemate[3]) repraesentatur, cum v. 393—403 et v. 406—415 loquatur. Partes eius histrio non agit, quia poeta hac in fabula non plures quam duos actores in scaenam mittit[4]). Albertus Müller[5]) Eumelum non a parachoregemate actum esse, sed puerum in scaena egisse, verba eius autem a choreuta in aversa scaenae parte cantata esse putat (puerum igitur *κωφὸν πρόσωπον* fuisse effici cogique potest.). Sed de illa sententia A. Müller recedit[6]); nam de Devrienti libello[7]) agens dicit pueros, qui partes puerorum in fabulis et agant et lo-

[1]) Satyri, e quibus chorus compositus est, a Sileno nominibus vocantur; quae nomina Robertus (Hermes XLVIII. 1912, p. 548s.) et agnovit et interpretatus est. Similiter in Aristophanis Avibus omnium choreutarum nomina comperimus.

[2]) cf. Nauck²; Diehl, Suppl. Soph. Bonn 1913, p. 29ss.

[3]) Persona, cuius partes actor agit extra ordinem ascitus, *παραχορήγημα* vocatur (cf. p. 18 adn. 4 huius dissertationis).

[4]) Poetam duobus histrionibus usum esse comprobatur v. 1108ss., cum Alcestis muta introeat. cf. L. Weber, Euripidis Alkestis. Leipzig—Berlin 1930, p. 35; A. Müller, Szen. Fragen z. Alk. d. Euripides, p. 4.

[5]) Szen. Fragen z. Alkestis, p. 5.

[6]) A. Müller, BphW. 1905, p. 659.

[7]) H. Devrient, Das Kind auf der antiken Bühne. Gymnas.-Progr. Weimar 1904.

quantur, facile Athenis inveniri posse. — Quos liberos in scaena adstare ex Alcestidis et Admeti verbis, quibus eos alloquuntur, intellegi potest:

Alcestis: v. 270 ss. τέκνα, τέκν', οὐκέτι δὴ
οὐκέτι μάτηρ σφῷν ἔστιν,
χαίροντες, ὦ τέκνα, τόδε φάος ὁρῷτον,

et v. 313 ss., 325, 371 ss., 379, 389.

Admetus: v. 404 s. ὥστ' ἐγὼ
καὶ σφὼ βαρείᾳ συμφορᾷ πεπλήγμεθα.

Praeterea actores saepe liberos adstantes memorant: v. 265[1]), 304s., 334, 377. — Hos liberos puellam et puerum esse ex v. 311ss. et Eumeli verbis, quibus v. 410 sororem compellat, conicitur.

Alcestis, quamquam in priore fabulae parte ab histrione repraesentata est, v. 1008 usque ad finem fabulae muta persona in scaena adest. Poeta enim ut iam supra dixi duobus histrionibus hac in fabula utitur. Nam Euripides, si tribus actoribus usus esset, Alcestidem loquentem in scaenam misisset. — Admetus eam mutam adstantem alloquitur:

v. 1061 ss. σὺ δ', ὦ γύναι,
ἥτις ποτ' εἶ σύ, ταὔτ' ἔχουσ' Ἀλκήστιδι
μορφῆς μέτρ' ἴσθι, καὶ προσῄξαι δέμας.

et v. 1133 s. ὦ φιλτάτης γυναικὸς ὄμμα καὶ δέμας,
ἔχω σ' ἀέλπτως, οὔποτ' ὄψεσθαι δοκῶν.

Praeterea Admetus et Hercules saepissime de ea loquuntur (v. 1020, 1024, 1028, 1056, 1077, 1102, 1110, 1120, 1124, 1126, 1139, 1143, 1144, 1147).

Pheretem nonnulli comitantur ministri, qui inferias Alcestidis afferunt. Quos accedentes chorus conspicit

v. 612 s. ὀπαδούς τ' ἐν χεροῖν δάμαρτι σῇ
κόσμον φέροντας νερτέρων ἀγάλματα.

Servi et servae Admeti et Alcestidis v. 244—434, 509—567, 606—746, 861—1158 in scaena versantur. Ancillas adesse (v. 244—434) ex Alcestidis verbis

v. 266 μέθετε μέθετέ μ' ἤδη, κλίνατ',

concluditur. Illae servae Alcestidem v. 244 allatam v. 266 (κλίνατ') de manibus demittunt in sedile adportatum. Servos v. 434 corpus Alcestidis efferre ex poetae verbis intellegi non potest. Sed corpus, dum chorus cantat, a servis elatum esse elucet, cum v. 476 Hercule intrante non adsit. — v. 509 iterum aliquot ministri progrediuntur. Admetus unum ex illis Herculem in aedes prosequi iubet:

v. 546 ss. ἡγοῦ σὺ τῷδε δωμάτων ἐξωπίους
ξενῶνας οἴξας, τοῖς τ' ἐφεστῶσιν φράσον
σίτων παρεῖναι πλῆθος.

---

[1]) cf. schol. adnot. ad v. 265: παῖδες Ἀδμήτου Εὔμηλος καὶ Περιμήλη.

Aliquos ministros portas claudere iubet, ne hospes plangorem et lamentationem audiat:

v. 548 s. ἐν δὲ κλῄσατε
θύρας μεσαύλους.

Servi v. 549 Herculem de scaena decedentem comitantur. — Cum exsequiae funeris v. 606 appareant, Admetus ministros corpus mortuae ferentes alloquitur:

v. 607 s.[1]) νέκυν μὲν ἤδη πάντ' ἔχοντα πρόσπολοι
φέρουσιν ἄρδην πρὸς τάφον τε καὶ πυράν.

Verba poetae testantur non solum illos commemoratos servos, sed magnum ministrorum et ancillarum numerum exsequias prosequi. Nam nutrix v. 192—195 et minister 762 ss. caritatem et observantiam, qua omnes servi coniuncti fuerint cum Alcestide, praedicat; ille famulus funeri se non interfuisse aegre fert, cum Admetus eum hospiti consulere iussisset (v. 546 ss.). Quibus verbis comprobatur omnes servos — illis exceptis, quibus Admetus curam Herculis commendaverat — exsequias comitatos esse. — Corpus Alcestidis servi v. 740 efferunt

v. 739 s. ἡμεῖς δέ, τοὔν ποσὶν γὰρ οἰστέον κακόν,
στείχωμεν, ὡς ἂν ἐν πυρᾷ θῶμεν νεκρόν.

v. 861 chorus et Admetus redeunt, quem comitantur ministri, qui v. 1110 (κομίζετ') iubentur Alcestidem, cuius caput est velatum, in aedes ducere. Illis verbis non chorum, sed servos esse appellatos ex v. 1111 videmus: οὐκ ἂν μεθείην τὴν γυναῖκα προσπόλοις.

In Medea (anni 431) liberi Medeae et Iasonis ter in scaena versantur, v. 49—105, 894—975, 1002—1077. Quos liberos v. 49—105 adesse verba nutricis, quae eos accedentes videt, arguunt:

v. 46 ss. ἀλλ' οἵδε παῖδες ἐκ τρόχων πεπαυμένοι
στείχουσι, μητρὸς οὐδὲν ἐννοούμενοι
κακῶν.

Paedagogus (v. 70 τούσδε παῖδας; v. 88 τούσδε) et nutrix (v. 90 τούσδε; v. 93 τοῖσδε) de adstantibus loquuntur; nutrix eos quoque alloquitur:

v. 82 ὦ τέκν', ἀκούεθ' οἷος εἰς ὑμᾶς πατήρ;
v. 89 ἴτ', εὖ γὰρ ἔσται, δωμάτων ἔσω, τέκνα.

Nutricis iussu

v. 105 ἴτε νῦν χωρεῖθ' ὡς τάχος εἴσω.

liberi scaenam relinquunt. Medea in aedibus versans[2]) eos adspicit:

---

[1]) Versibus 609 s. ὑμεῖς δὲ τὴν θανοῦσαν, ὡς νομίζεται,
προσείπατ' ἐξιοῦσαν ὑστάτην ὁδόν,
Admetus ad chorum se convertit, qui iussum „προσείπατ' ἐξιοῦσαν" v. 743 peragit.

[2]) Medeam in aedibus versari v. 214 videmus, cum ea verbis „ἐξῆλθον δόμων" prodeat. Afferam scholiastae verba ad v. 112: ἑωρακυῖα τοὺς παῖδας ἅμα τῷ παιδαγωγῷ ἀναβοᾷ.

v. 112 ss. *ὦ κατάρατοι*
παῖδες ὄλοισθε στυγερᾶς ματρὸς
σὺν πατρί.

Postquam liberi abierunt, nutrix dicit

v. 117 s. *τί τούσδ' ἔχθεις; οἴμοι*
τέκνα, μή τι πάθηθ' ὡς ὑπεραλγῶ.

Quibus in versibus illa liberos non alloquitur, sed haec verba ad se ipsam dicit[1]. V. 894 Medea liberos advocat:

ὦ τέκνα τέκνα, δεῦτε, λείπετε στέγας
ἐξέλθετ', κτλ.,

et eos alloquitur usque ad v. 899. — Iaso v. 914—921 infantes suos voce compellat:

ὑμῖν δέ, παῖδες, οὐκ ἀφροντίστως πατὴρ
πολλὴν ἔθηκε σὺν θεοῖς προμηθίαν,
κτλ.

Mater et pater eorum eos commemorant v. 925 (*τέκνων τῶνδ'*), v. 926 (*τῶνδ'*), v. 929 (*τοῖσδε τέκνοις*). — Medea eos v. 956—958 iterum allocuta v. 969 ss. abscedere iubet.

v. 974 s. *ἴθ' ὡς τάχιστα· μητρὶ δ'ὧν ἐρᾷ τυχεῖν*
εὐάγγελοι γένοισθε πράξαντες καλῶς,

matris iussu abeunt. — Liberos tertium intrare conici potest ex illis, quae paedagogus v. 1002 ingrediens dicit: *δέσποιν', ἀφεῖνται παῖδες οἵδε σοὶ φυγῆς.* Medea infantes alloquitur

v. 1021 ss. *ὦ τέκνα τέκνα, σφῷν μὲν ἔστι δὴ πόλις*
καὶ δῶμ', κτλ.,

et v. 1023—41, 1053, 1069—1077. — v. 1077 matris iussu (v. 1076 *χωρεῖτε, χωρεῖτε*) de scaena decedunt. Liberi non solum v. 49—105 et v. 1001—1077, quibus in scaenis actor partes paedagogi agit, sed etiam v. 894—975 a paedagogo, cuius partes muta suscipit persona, deducuntur. Paedagogum quamquam neque histriones neque chorus v. 894—975 commemorant, tamen in scaena conspici ex tertio liberorum ingressu concludi potest. Paedagogus enim narrat v. 1002 ss., quomodo liberi, qui v. 975 ut ad Glaucen irent scaenam reliquerant, a regis filia recepti sint; ille igitur minister infantes iam v. 975 comitabatur. Koobius[2] partes paedagogi *τριταγωνιστῇ* tributas esse existimat. Sed cum in Medea nunquam plures quam duo actores inter se colloquantur, poetam duobus solum histrionibus usum esse constat. Personam paedagogi igitur v. 894—975 a muta persona repraesentatam esse comprobatum est.

Medeam per totam fabulam ancillae comitantur. Has servas, e quibus unam ad Iasonem mittere sibi proposuit, Medea v. 774 s. commemorat:

[1] cf. schol. adnot. ad v. 115: *ἔξωθεν ἡ τροφὸς ταῦτα καθ' ἑαυτήν φησιν.*
[2] Koob, p. 258.

πέμψασ' ἐμῶν τιν' οἰκετῶν Ἰάσονα
ἐς ὄψιν ἐλθεῖν τὴν ἐμὴν αἰτήσομαι.

Quod propositum Medea v. 820 ss. peragit ancillam aliquam emittens:

ἀλλ' εἶα χώρει καὶ κόμιζ' Ἰάσονα·
ἐς πάντα γὰρ δὴ σοὶ τὰ πιστὰ χρώμεθα.
λέξῃς δὲ μηδὲν τῶν ἐμοὶ δεδογμένων
εἴπερ φρονεῖς εὖ δεσπόταις γυνή τ' ἔφυς.[1])

Quam ancillam, quae his verbis ad Iasonem mittitur, nutricem esse, quae v. 203 abierat ut Medeam arcesseret, nego. Nutrix enim, quam v. 213 cum Medea redisse et inter ceteras Medeae servas in orchestra versatam esse quandam similitudinem veri in se habet, nullo verbo commemoratur; Medea potius aliquam[2]) ancillam abire iubet. Scholiastes adnotat ad v. 819: *πρὸς τὴν θεράπαινάν φησιν.* Medea iterum servam, ut ornamenta adportet, mittit

v. 950 s. *ἀλλ' ὅσον τάχος χρεὼν*
κόσμον κομίζειν δεῦρο προσπόλων τινά.

v. 956 hanc ancillam redire intellegere possumus ex v. 956, cum ornamenta (*φερνὰς τάσδε*) allata esse appareat.

Creon v. 271—356 cum comitibus in scaena adest, quos v. 335 *τάχ' ὀπαδῶν χειρὸς ὠσθήσῃ βίᾳ,* Medeam ex urbe exturbare iubet.

Utrum Aegeus cum satellitibus an solus introeat, ex Euripidis verbis concludere non possumus. Sed Aegeo, cum regem Delphis redeuntem hoc iter non sine armatis fecisse verisimile sit, nonnulli comites tribuendi sunt[3]).

Comites Iasonis v. 446—622 et 666—775 in scaena versantis nusquam commemorantur. Sed Iasoni ministros fuisse e v. 1121 elucet, cum unus ex Iasonis satellitibus nuntius, qui ab histrione agitur, procedat. Complures servos apud Iasonem fuisse ex Medeae verbis conicimus, quae v. 1118 s. hunc nuntium appropinquantem videt:

καὶ δὴ δέδορκα τόνδε τῶν Ἰάσονος
στείχοντ' ὀπαδῶν.

Et ille nuntius conservos commemorat

v. 1138 s. *ἥσθημεν οἵπερ σοῖς ἐκάμνομεν κακοῖς*
δμῶες.

et v. 1141 *ὁ μὲν — ὁ δέ.* Sed illi versus non testantur hos commemoratos servos dominum v. 446 et v. 866 prodeuntem comitatos

---

[1]) His verbis non chorum, sed ancillam mutam compellari conicimus ex v. 823: *εἴπερ φρονεῖς εὖ δεσπόταις.* Chorus ex mulieribus Corinthiis, quae amicae sunt Medeae, compositus est (v. 213: *Κορίνθιαι γυναῖκες*; v. 765: *φίλαι*).

[2]) v. 774: *ἐμῶν τιν' οἰκετῶν.*

[3]) cf. in Soph. Oed. R. personam Creontis, quem Delphis redeuntem comitibus stipatum esse conici potest ex verbis poetae v. 750 ss., quibus in versibus satellites Laii, qui Delphos profectus erat, enumerantur (v. p. 24 adn. 1 huius dissertationis).

esse et revera in scaena conspici. Tamen Iasonem solum non inisse conicere licet, cum ille tertium ingrediens (v. 1293) a servis, quorum praesentia ex poetae verbis apparet, deducatur. Iaso hos famulos alloquitur

v. 1314 s. χαλᾶτε κλῇδας ὡς τάχιστα, πρόσπολοι,
ἐκλύεθ' ἁρμούς.

In Hippolyto coronato, quae fabula anno 428 scaenae commissa est[1]), comites v. 58—120 Hippolytum sequuntur. Quos satellites, cum v. 61—72 cantent, non a mutis personis, sed a choro auxiliario repraesentatos esse Koobius[2]) arbitratur; verus chorus partes illorum venatorum suscipere non potuerit, cum tempus brevius sit, quam ut chorus, qui iam v. 121 progrediatur, vestes mutare possit. In eadem sententia est scholiastes qui adnotat: ἕτεροί εἰσι τοῦ χοροῦ ..... ἄλλοι δέ τινές εἰσι παρὰ τὸν χορόν. Sed Arnoldtii[3]) sequor sententiam, qui illos versus 61—72 non a choro auxiliario, sed a vero choro post scaenam cani et comites Hippolyti v. 73 ineuntis mutas personas, quas adesse ex v. 108ss. (χωρεῖτ' ὀπαδοί, κτλ.) conici potest, scaenam intrare existimat. Illos venatores ministros, non Hippolyti amicos fuisse ex verbis Veneris concludo (contra Kobii[4]) opinionem), quae v. 54s. Hippolytum cum suis appropinquantem indicat:

πολὺς δ' ἅμ' αὐτῷ προσπόλων ὀπισθόπους
κῶμος λέλακεν.

Quibus comitibus Hippolytus v. 108ss. munus servorum mandat. Sed Hippolytum iterum introeuntem (v. 902) nonnulli amici aequales comitantur, quos v. 1098ss. alloquitur:

ἴτ' ὦ νέοι μοι τῆσδε γῆς ὁμήλικες,
προσείπαθ' ἡμᾶς καὶ προπέμψατε χθονός·
ὡς οὔποτ' ἄλλον ἄνδρα σωφρονέστερον
ὄψεσθε, κεἰ μὴ ταῦτ' ἐμῷ δοκεῖ πατρί.

Servi Hippolytum v. 902—1101 non sequuntur. Ἄγγελος enim, qui Hippolyti minister ab histrione repraesentatus v. 1153 prodit, ministros per nuntium certiores factos esse[5]) Hippolytum ex urbe esse expulsum narrat. Famuli igitur in hac fabulae parte (v. 902—1101) non adsunt. V. 1347 autem Hippolytus a ministris in scaenam fertur. Dominus moriens hos servos vel unum ex iis alloquitur:

v. 1353 σχές, ἀπειρηκὸς σῶμ' ἀναπαύσω.
v. 1358 ss. πρὸς θεῶν, ἀτρέμας, δμῶες,
χροὸς ἑλκώδους ἅπτεσθε χεροῖν.

---

1) cf. argumentum fabulae (II).
2) Koob, p. 294.
3) Arnoldt, Chor. Techn. p. 7 adn. 1.
4) Koob, p. 294s.
5) v. 1175ss. ἦλθε γάρ τις ἄγγελος λέγων
ὡς οὐκέτ' ἐν γῇ τῇδ' ἀναστρέψοι πόδα
Ἱππόλυτος, ἐκ σοῦ τλήμονας φυγὰς ἔχων.

τίς ἐφέστηκεν δεξιὰ πλευροῖς;
πρόσφορά μ' αἴρετε, σύντονα δ' ἕλκετε
τὸν κακοδαίμονα κτλ.
v. 1372 *μέθετέ με, τάλανες.*[1])
v. 1374 *προσαπόλλυτ' ἀπόλλυτε τὸν δυσδαίμονα.*[2])

Phaedram v. 176—731 in scaena versantem ancillae, in quibus nutrix ab histrione acta Phaedram manu ducit[3]), mutae personae sequuntur; quas servas lectum Phaedrae ex aedibus regiis adportavisse v. 179s. videmus:

ἔξω δὲ δόμων ἤδη νοσερᾶς
δέμνια κοίτης.

Phaedra ad eas se convertit:

v. 198 *ἄρατέ μου δέμας, ὀρθοῦτε κάρα.*
v. 200 *λάβετ' εὐπήχεις χεῖρας, πρόπολοι.*
v. 202 *ἄφελ', ἀμπέτασον βόστρυχον ὤμοις.*

Illae Phaedrae ancillae v. 810 conspiciuntur, cum Thesei iussu portae patefiant, ut corpus mortuae lecto impositum appareat. Nam v. 786 nutrix servas corporis membra extendere iusserat:

ὀρθώσατ' ἐκτείναντες ἄθλιον νέκυν.

Lamentationes earum Theseus, qui v. 790 intrat, audit

v. 791 *ἠχὴ βαρεῖα προσπόλων μ' ἀφίκετο.*

Theseo fuerunt aliquot ministri, quos v. 808s.

χαλᾶτε κλῇθρα, πρόσπολοι, πυλωμάτων
ἐκλύεθ' ἁρμούς,

portarum seras laxare et vectes solvere iubet; v. 1084s., ut Hippolytum corripiant, eos advocat[4]):

οὐχ ἕλξετ' αὐτόν, δμῶες; οὐκ ἀκούετε
πάλαι ξενοῦσθαι τόνδε προὐννέποντά με;

Quo anno Andromache acta sit, incertum est, quia haec fabula non Athenis docta est[5]); hanc tragoediam „*ἐν ἀρχαῖς τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου*" in scaenam delatam esse in scholiis adnotatur (ad v. 445).

Hermione cum comitibus mutis colloquens v. 147 progreditur

v. 147 ss. *κόσμον μὲν ἀμφὶ κρατὶ χρυσέας χλιδῆς*
στολμόν τε χρωτὸς τόνδε ποικίλων πέπλων
οὐ τῶν Ἀχιλλέως οὐδὲ Πηλέως ἄπο
δόμων ἀπαρχὰς δεῦρ' ἔχουσ' ἀφικόμην,
κτλ.

---

[1]) *τάλανες* Bothe; *τάλανα* fere codd.

[2]) *προσαπόλλυτ' ἀπόλλυτε* Wilamowitz; *προσαπόλλυτε μ' ὄλλυτε* codd.

[3]) v. 171: *κομίζουσα.*

[4]) Versum 943: *Σκέψασθε δ' εἰς τόνδε* non ad comites, sed ad chorum refero.

[5]) schol. ad v. 445: *εἰλικρινῶς δὲ τοὺς τοῦ δράματος χρόνους οὐκ ἔστι λαβεῖν· οὐ δεδίδακται γὰρ Ἀθήνησι.*

Illas servas, quae v. 268 Hermionem abeuntem sequuntur, chorus audit

v. 820 s. *καὶ μὴν ἐν οἴκοις προσπόλων ἀκούομεν βοήν.*

Reginam iterum ingredientem cum his ancillis v. 820s. memoratis produci, quamquam servae voce non compellantur, verisimile est.

Menelaus v. 309—663 et v. 501—746 cum servis, quos Andromachen comprehendere v. 425s. iubet, prodit:

v. 425 s. *λάβεσθέ μοι τῆσδ', ἀμφελίξαντες χέρας, δμῶες.*

Peleum illos Menelai ministros animadvertere verba Andromaches testantur

v. 559 s. *οἴδ', ὦ γεραιέ, σὺν τέκνῳ θανουμένην ἄγουσί μ' οὕτως ὡς ὁρᾷς.*

Peleus v. 577 et v. 715 ad eos se convertit

v. 577 *χαλᾶν κελεύω, κτλ.*

v. 715 *φθείρεσθε τῆσδε, δμῶες.*

Suos Peleus alloquitur

v. 551[1]) *ἡγοῦ σὺ θᾶσσον*

v. 1066 ss. *οὐχ ὅσον τάχος χωρήσεταί τις κτλ.*

Neoptolemus mortuus v. 1166 adportatur; complures igitur ministri muti, qui corpus ferant, in orchestram producuntur.

Molossus puer a Menelai servis adductus v. 309 conspicitur. Andromache v. 413 (*ὦ τέκνον*) et v. 443 (*τέκνον*) filium alloquitur, qui saepissime commemoratur: v. 309, 315, 317, 381, 406, 407, 409, 431. Quem puerum, qui non loquitur, a muta persona repraesentari apertum est; partes eius autem, qui v. 501—765 iterum in scaena versatus loquatur, quartus actor vel parachoregema, cum tres iam adstent histriones (Menelaus, Andromache, Peleus), obtinet.

In Heraclidis, quam fabulam circa annos 429—427 in scaenam delatam esse Wilamowitzius[2]) docuit, filii Herculis, qui supplices cum Iolao in orchestra versantur, mutae personae sunt. Actores v. 48, 307, 309ss., 427ss., 581ss., 602 ss., 630, 873 hos pueros, qui saepius[3]) commemorantur, alloquuntur.

Demophontem v. 118 Acamas frater sequitur, quem mutum in scaenam producere, cum iam tres adsint actores, poeta cogitur. Chorus reges accedere videt:

---

[1]) Hoc versu Menelaus non compellatur, ad quem Peleus v. 550 „*Μενέλα', ἐπίσχες*" se converterat.

[2]) Wilamowitz, Anal. Eurip. p. 151s.

[3]) v. 24, 40, 64, 87, 91s., 93, 105, 123s., 137, 171s., 205, 237, 239, 252, 286, 341, 520, 532, 572, 575ss., 650ss., 711.

v. 118 s. *καὶ μὴν ὅδ' αὐτὸς ἔρχεται σπουδὴν ἔχων*
Ἀκάμας τ' ἀδελφός, τῶνδ' ἐπήκοοι λόγων.

Iolaus eos v. 308 (*ὑμεῖς*) alloquitur. — Comites regum nunquam commemorantur, nisi forte Arnoldtium[1]) secutus accipias versum 368 cum ad reges tum ad satellites referri. — Cum ministro, qui v. 928 prodiens inter colloquentes est, alios servos Eurystheum captivum ducentes ingredi apparet ex verbis ministri (v. 929 *ἄγοντες ἥκομεν*) et ex v. 1040, ubi Alcmene famulos voce compellat: *κομίζετ' αὐτόν, δμῶες.*

Hecuba certe ante Aristophanis Nubes[2]), quae fabula anno 423 data est, in scaenam commissa est[3]). Hac in fabula ancillae Hecubam comitantur, quae

v. 59 ss. *ἄγετ', ὦ παῖδες, τὴν γραῦν πρὸ δόμων*
ἄγετ' ὀρθοῦσαι τὴν ὁμόδουλον,
Τρῳάδες, ὑμῖν πρόσθε δ' ἄνασσαν
λάβετε φέρετε πέμπετ' ἀείρετέ μου
γεραιᾶς χειρὸς προσλαζύμεναι.

et v. 28 *Τρῳάδες* appellantur. Quibus versibus non chorum ex Troadibus compositum, quae Troia capta servae factae sunt, sed ancillas, quae iam ante Troiae excidium servae erant, compellari apertum est, cum chorus nondum adsit, sed aliquanto postea progrediatur. Unam ex illis servis Hecuba v. 609 ss. alloquitur:

σὺ δ' αὖ λαβοῦσα τεῦχος, ἀρχαία λάτρι,
βάψασ' ἔνεγκε δεῦρο ποντίας ἁλός,
κτλ.,

cuius ancillae partes v. 658 ss. actor suscipit[4]). Ceterae ancillae, quae Hecubam in tentorium sequuntur, v. 880 ab Hecuba commemorantur: *στέγαι κεκεύθασ' αἵδε Τρῳάδων ὄχλον.* — Liberis Polymestoris interfectis illae servae iterum prodeunt, quas pedetemptim ingredientes Polymestor animadvertit:

v. 1070 s. *σίγα· κρυπτὰν βάσιν αἰσθάνομαι*
τάνδε γυναικῶν.

Agamemnonen v. 726—904 et 1109 usque ad finem fabulae in scaena versantem a satellitibus esse stipatum ex v. 1282—85 intellegere possumus. Suos enim Polymestorem comprehendere iubet:

---

[1]) Arnoldt, Chor. Techn. p. 63.

[2]) Nub. 701 = Hec. 162; Nub. 1148 = Hec. 173.

[3]) cf. Dieterichum, RE[2]. VI. 1256; Wilamowitz (Hermes XLIV, 1899, p. 451) Hecubam fortasse ante Medeam actam esse censet.

[4]) cf. schol. adnot. ad v. 658: *μία τῶν δούλων αὐτῆς ἔρχεται φέρουσα τὸ σῶμα τοῦ Πολυδώρου. ἡ γὰρ πεμφθεῖσα ὑπὸ τῆς Ἑκάβης ἐπὶ τῷ κομίσαι ὕδωρ εἰς τὰ λουτρὰ τῆς Πολυξένης· αὕτη οὖν ἡ δούλη ἀπελθοῦσα παρὰ θάλασσαν εὑρίσκει τὸ σῶμα τοῦ Πολυδώρου καὶ ἔρχεται δεικνύουσα αὐτὸ τῇ Ἑκάβῃ.*

v. 1282 ss. Ἀγ· οὐχ ἕλξετ' αὐτόν, δμῶες, ἐκποδὼν βίᾳ.
Ἀγ· οὐκ ἐφέξετε στόμα;
Πολ· ἐγκλῄετ'· εἴρηται γάρ. Ἀγ· οὐχ ὅσον τάχος
νήσων ἐρήμων αὐτὸν ἐκβαλεῖτέ που.

Ad versum 1284 scholiastes adnotat: *γράφεται καὶ πιέζετ', ὡς πιεζόντων αὐτοῦ τῶν οἰκετῶν τὸ στόμα.*

V. 953 intrat Polymestor, quem et duo filii et satellites aliquot sequuntur. De illis pueris actores loquuntur:

v. 978 s. ἴδιον ἐμαυτῆς δή τι πρὸς σὲ βούλομαι
καὶ παῖδας εἰπεῖν σούς.

et v. 1005, 1006. Comites adesse ex v. 979s. sequitur:

ὀπάονας δέ μοι
χωρὶς κέλευσον τῶνδ' ἀποστῆναι δόμων.

Quos Polymestor v. 981 abire iubet:

χωρεῖτ'· ἐν ἀσφαλεῖ γὰρ ἥδ' ἐρημία.

Ulixem, qui v. 198 ingreditur ut Polyxenen abducat, nonnulli comitantur satellites:

v. 222 s. ἡμᾶς δὲ πομποὺς καὶ κομιστῆρας κόρης
τάσσουσιν εἶναι.

Ulixes igitur praeco Graecorum non solus adstat, sed nonnullos ministros secum ducit.

In fabula Supplicum, quae paulo ante pacem Niciae (a. 421) acta est[1]), ancillae matrum pars chori sunt, quem ex septem matronis et totidem famulis constitisse Boeckhius[2]) et Hermannus[3]) opinati sunt, quem ex quinque matribus et decem ancillis compositum esse Arnoldtio[4]) placuit. Ancillas non a mutis personis repraesentari, sed inter choreutas esse recensendas intellegimus v. 72ss., 598, 1115 ss. Filii heroum caesorum a mutis personis acti cum Adrasto in orchestra adsunt:

v. 106 s. οἱ δ' ἀμφὶ τόνδε παῖδες; ἢ τούτων τέκνα;
οὔκ, ἀλλὰ νεκρῶν τῶν ὀλωλότων κόροι.

Qui pueri iterum introeuntes (v. 1114) chorum auxiliarium constituunt; saepenumero enim loquuntur: v. 1123—26, 1132—34, 1139—42, 1146—49, 1153s., 1155s., 1159, 1161s.

Initio fabulae sacerdotes Cereris in orchestra versantur, qui una cum Cerere ab Aethra memorantur v. 2 *οἵ τε ναοὺς ἔχετε πρόσπολοι θεᾶς.* Illorum enim erat deae nuntiare quid sacrificaturi ex dea peterent; Aethra sacerdotes ad aras adstantes admonet, quid pro ea precari debeant.

---

[1]) cf. Wilamowitz, Der Mütter Bittgang (Griech. Trag. III, Berlin 1899), p. 30ss.

[2]) Aug. Boeckh, Graec. trag. princ. p. 96s.

[3]) ed. praef. p. XVI.

[4]) Chor. Techn. p. 75.

Theseus cum militibus se rediturum esse pollicetur v. 356 s.

λεκτοὺς ἀθροίσας δεῦρ' Ἀθηναίων κόρους
ἥξω.

Illos milites, qui regem v. 381 progredientem comitantur, praeco prosequitur, quem Theseus Thebas mittens v. 381 ss. alloquitur. — Milites regis corpora heroum caesorum adportantes voce compellantur et ab Adrasto

v. 811 s. *προσάγετε τῶν δυσπότμων*
σώμαθ' αἱματοσταγῆ,

et a choro v. 815 s. *δόθ', κτλ.*

Ministri quot fuerint, ex verbis tragici certe dici non potest; Arnoldtius[1]) quinque corpora in orchestram afferri ex v. 860—903, in quibus sex heroum nomina enumerantur, conicit; Wilamowitzius[2]) septem feretra, quorum duo sint vacua, deduci suspicatur. — Non solum illi decem vel quattuordecim famuli, qui cadavera portant, in orchestra adstant, sed etiam alii regis ministri pompam funebrem prosequuntur. Pars enim servorum iubetur rogum Capanei exstruere

v. 938 s. *αὐτοῦ παρ' οἴκους τούσδε συμπήξας τάφον*
οὗτος μὲν ἤδη δμωσὶν ἂν μέλοι πόνος.

ceteri feretra efferunt

v. 940 *στειχέτω δ' ἄχθη νεκρῶν.*

Iphis senex v. 1034 cum satellitibus, quos v. 1104 vocat, procedit:

οὐχ ὡς τάχιστα δῆτά μ' ἄξετ' ἐς δόμους.

In Ione, quam fabulam circa annos 419 vel 418 doctam esse O. Klotz[3]), quem sequitur J. Geffcken[4]), opinatur, post annum 415 actam esse Wilamowitzius[5]) persuasum habet Gualtherum Kranz[6]) et L. Enthoven[7]) secutus, templi custodes, e quibus unus Ion est, mutae personae adsunt, quos v. 94 ss. alloquitur:

v. 94 ss. *ἀλλ' ὦ Φοίβου Δελφοὶ θέραπες,*
τὰς Κασταλίας ἀργυροειδεῖς
βαίνετε δίνας, καθαραῖς δὲ δρόσοις
ἀφυδρανάμενοι στείχετε ναούς.

Ionem v. 1261 usque ad extremam fabulam satellites enses manibus tenentes (v. 1258) sequuntur. Illos armatos Creusa accedentes videt:

---

1) Arnoldt, Chor. Techn. p. 74.
2) Wilamowitz, Der Mütter Bittgang (Griech. Trag. III, Berlin 1899), p. 72.
3) O. Klotz, Untersuchungen zu Euripides Ion. Diss. Freib. 1917, p. 12.
4) I. Geffcken, Literaturgesch. I, p. 161; Anmerkg. p. 181, 172.
5) Wilamowitz, Euripides Ion. Berlin 1926, p. 24.
6) Kranz, De forma stasimi. Diss. Berol. 1912, p. 43.
7) L. Enthoven, De Ione. Diss. Bonn. 1880.

v. 1257 s. *καὶ μὴν οἵδ' ἀγωνισταὶ πικροὶ*
δεῦρ' ἐπείγονται ξιφήρεις.

Ion suos Creusam prehendere iubet v. 1266 (*λάζυσθε*), v. 1402 (*λάζυσθε τήνδε*), v. 1403 (*δεῖτε δ' ὠλένας*); Ionis comites a Creusa voce compellantur: v. 1404 (*σφάζοντες οὐ λήγοιτ' ἄν*) et v. 1417 (*σκέψασθε*).

Creusam, quae v. 237—428, 725—1040, 1250—1622 in scaena adest, praeter chorum ex ancillis compositum alias servas secum ducit. Ion enim eam claro et nobili genere natam esse cognoscit, ut credere possimus servas reginam esse secutas. Ministros, qui a paedagogo commemorantur

v. 980 *ξιφηφόρους σοὺς ὁπλίσασ' ὀπάονας,*

revera in scaena adstare comprobari non potest, cum poeta pronomine demonstrativo non utatur. Creusam v. 1250 intrantem ab ancillis deduci ex plurali numero *διωκόμεσθα* intellegimus; quo plurali non se significat, v. 1251 enim de se ipsa loquens singulari *γίγνομαι* utitur. Xuthum regem v. 400—425 et v. 517—676, quamquam a comitibus stipatum esse ex poetae verbis nullo loco concludi potest, solum intrare tamen verisimile non est, cum existimare possimus poetam ut reginae sic regi comites tribuisse.

In Herculis fabula, quam intra annos 421 et 416 doctam esse Wilamowitzius docuit[1]), filii Herculis et Megarae v. 1—338 et v. 451—636 in scaena versantes a mutis personis repraesentantur.

Chorus v. 114 *ὦ τέκεα, τέκεα πατρὸς ἀπάτορ',*

infantes alloquitur, qui saepius a Megara, Amphitryone, Hercule voce compellantur: v. 227ss., 336s., 454ss., 520, 622. Numerum puerorum v. 474 comperimus:

τρεῖς δ' ὄντας ὑμᾶς τριπτύχοις τυραννίσι
πατὴρ ἐπύργου.

Lycum v. 140—335 et v. 701—725 complures sequuntur comites, quos v. 240ss. in tres dividit partes

ἄγ' οἳ μὲν Ἑλικῶν', οἳ δὲ Παρνασοῦ πτυχὰς
τέμνειν ἄνωχθ' ἐλθόντες ὑλουργοὺς δρυὸς
κορμούς.

Ut lignum afferatur, alteri ad Heliconem, alteri ad Parnassum montem mittuntur ad arbores caedendas; tertiam partem in orchestra apud Lycum remanere apparet v. 332, cum illos ministros ianuas aperire iubeat:

οἴγειν κλῇθρα προσπόλοις λέγω.

Theseus milites, partem exercitus, secum ducit, *ἄλλους*[2]) ad Asopum flumen reliquerat.

---

[1]) Wilamowitz, Herakles I², p. 134. 140. 144. 147.

[2]) v. 1163s. *σὺν ἄλλοις, οἳ παρ' Ἀσωποῦ ῥοὰς μένουσιν.*

Multae mutae personae in Troadum fabula, quam anno 415 actam esse Aelianus[1]) testatur, inveniuntur. Hecuba, ut in fabula, quae inscribitur Hecuba, sic in Troadibus praeter chorum, qui ex Troadibus est compositus, alias ancillas secum ducit. — Versus 143/144 ad chorum pertinent[2]), quibus verbis Hecuba chorum e tentorio evocat. Primum v. 351 Hecuba suas ancillas alloquitur

v. 351 s. ἐσφέρετε πεύκας, δάκρυά τ' ἀνταλλάξατε
τοῖς τῆσδε μέλεσι, Τρῳάδες, γαμηλίοις.

Servae et a choro

v. 462 s. Ἑκάβης γεραιᾶς φύλακες, οὐ δεδόρκατε
δέσποιναν ὡς ἄναυδος ἐκτάδην πίτνει;[3])
οὐκ ἀντιλήψεσθ'; κτλ.,

et ab Hecuba voce compellantur (v. 466s., 505, 506). v. 1200s. Hecuba nonnullas ex illis ancillis „κόσμον νεκρῷ" afferre iubet; quas servas v. 1207 reverti ex v. 1207 s. apparet, cum chorus eas procedere indicet:

v. 1207 s. καὶ μὴν πρόχειρον αἵδε σοι σκυλευμάτων[4])
Φρυγίων φέρουσι κόσμον ἐξάπτειν νεκρῷ.

v. 1246 Hecubae iussu servae a scaena discedunt:

χωρεῖτε, θάπτετ' ἀθλίῳ τύμβῳ νεκρόν.

Illis verbis non chorum appellatum esse elucet, cum chorus remaneat in orchestra.

Talthybius Graecorum praeco quater (v. 235—461, 709—789, 1123—1157, 1260—1332) cum comitibus adest. Illi satellites voce compellantur primum ingredientes a Talthybio

v. 294 s. ἴτ', ἐκκομίζειν δεῦρο Κασάνδραν χρεὼν
ὅσον τάχιστα, δμῶες

iterum introeuntes

et ab Andromacha[5]) v. 774 ἀλλ' ἄγετε φέρετε ῥίπτετ', εἰ ῥίπτειν δοκεῖ·
δαίνυσθε τοῦδε σάρκας.

et a Talthybio v. 786 λαμβάνετ' αὐτόν.

Tertium intrans Talthybius, quem non solum procedere ex v. 1147 (ἡμεῖς) et ex v. 1156 (θέσθε) concludi potest, Astyanactis corpus fert. Praeco, cum in extrema fabulae parte (v. 1266) progrediatur, a militibus, quos v. 1260—1264 iubet muros Troiae incendere, stipatus est:

---

[1]) Ael. var. hist. II. 8.

[2]) Verba Hecubae v. 510 (νομίζετε) ad chorum refero.

[3]) v. 463 ἐκτάδην ed. Oxon. secundum Verrall; ἐς ἅδην cod. P, ἐς πέδον cod. V.

[4]) v. 1207 πρόχειρον ed. Oxon. secundum Weckleinium; πρὸ χειρῶν habent codd.

[5]) Versibus 777s. (κρύπτετ' ἄθλιον δέμας κτλ.) Andromachen custodes, non praeconis comites alloqui arbitror.

v. 1260 ss. *αὐδῶ λοχαγοῖς, οἳ τέταχθ' ἐμπιμπράναι*
Πριάμου τόδ' ἄστυ, μηκέτ' ἀργοῦσαν φλόγα
ἐν χερσὶ σῴζειν, κτλ.

Chorus illos iam v. 1256 ss. viderat:

τίνας Ἰλιάσιν ταῖσδ' ἐν κορυφαῖς
λεύσσω φλογέας δαλοῖσι χέρας
διερέσσοντας.

Sed non solum illi milites, sed etiam Ulixis ministri, qui Hecubam abducant, Talthybium sequuntur:

v. 1270 s. *μεθήκουσίν σ' Ὀδυσσέως πάρα*
οἵδ', ᾧ σε δούλην κλῆρος ἐκπέμπει πάτρας.

Praeco illos famulos Hecubam ad Ulixem ducere iubet

v. 1285 *ἀλλ' ἄγετε, μὴ φείδεσθ'.*

Hectoris uxor captiva curru sedens in scaenam ducitur (v. 568—576). Nonnulli igitur Graecorum milites, qui equos regant captivamque custodiant, sequuntur. Andromache ipsa v. 777 s. illos alloquitur

κρύπτετ' ἄθλιον δέμας
καὶ ῥίπτετ' ἐς ναῦς.

Cum Andromacha filius eius Astyanax, cuius partibus *κωφὸν πρόσωπον* perfungitur, in vehiculo Neoptolemi sedet. Quem puerum in orchestram produci iam videmus, cum v. 568 ss. chorus currum appropinquantem conspiciat:

v. 570 s. *ἕπεται*
φίλος Ἀστυάναξ, Ἕκτορος ἶνις.

Histriones puerum alloquuntur: v. 740—744, 749—763, 782—785[1]).

Menelaus v. 860—1059 cum comitibus, quos Helenen arcessere iubet, inducitur:

v. 880 ss. *ἀλλ' εἶα χωρεῖτ' ἐς δόμους, ὀπάονες,*
κομίζετ' αὐτὴν τῆς μιαιφονωτάτης
κόμης ἐπισπάσαντες.

Illos Menelai famulos Helene v. 896 (*προσπόλων σέθεν*) et Menelaus v. 1047 s. (*λέγω δὲ προσπόλοισι*) commemorant.

Oresten Pyladenque in Electra, quam fabulam Euripides anno 413 in certamen commisit[2]), ministri aliquot muti comitantur, quos agricola (*αὐτουργός*), Electrae uxor, alloquitur:

v. 360 *αἴρεσθ', ὀπαδοί, τῶνδ' ἔσω τεύχη δόμων.*

His verbis non servos agricolae pauperrimi[3]), cui ministros quibuscum intret non tribuam, sed Orestis comites compellari v. 393 s.

---

[1]) De puero loquuntur actores: v. 713, 715, 738, 765, 775.

[2]) cf. v. 1347 ss.; cf. Pohlenz, Griech. Trag. I p. 325, II p. 90; cetera vide p. 27 adnot. 1 huius dissertationis.

[3]) *Αὐτουργὸν* pauperrimum fuisse verbis poetae saepius cognoscimus; cf. v. 304 s.

apparet, cum Orestes eadem, quae antea (v. 360) agricola dixerat, ministros suos peragere iubeat:

v. 393 s. χωρεῖν χρεών,
δμῶες, δόμων τῶνδ' ἐντός.

Arnoldtii opinioni[1]) assentior, qui v. 500

ἴτω φέρων τις τοῖς ξένοις τάδ' ἐς δόμους

aliquem ex Orestis servis vocari censet. Illi famuli v. 880 iterum prodeunt Aegisthi corpus ferentes, quod conspici ex his intellegas:

v. 895 αὐτὸν τὸν θανόντα σοι φέρω.

Orestis iussu v. 959 s. cadaver a ministris in aedes affertur

κομίζειν τοῦδε σῶμ' ἔσω χρεὼν
σκότῳ τε δοῦναι, δμῶες.

v. 1177, cum Electra et Orestes cum Pylade domo procedant, servi sequuntur Clytaemestrae et Aegisthi corpora adportantes, quae Orestes, Electra, Castor monstrant.

Clytaemestra cum comitibus curru (v. 966, 998, 999) sedens in orchestram producitur. Ancillas v. 998 ss. alloquitur:

ἔκβητ' ἀπήνης, Τρῳάδες, χειρὸς δ' ἐμῆς
λάβεσθ', κτλ.

Praeter has servas, quae v. 1007 (δοῦλαι αἵδε) et v. 1010 (αἵδε) commemorantur, servi nobis occurrunt; ad ministros enim regina v. 1135 s. se convertit:

ἀλλὰ τούσδ' ὄχους, ὀπάονες,
φάτναις ἄγοντες πρόσθεθ'.'

Postquam servi equos abduxerunt, Clytaemestra cum suis v. 1138 orchestram relinquit. — Pylades, qui in scaena adest v. 82—400, 553—698, 880—987, 1177—1359, per totam fabulam tacet. Orestes amicum, qui semper cum eo progreditur, v. 82 ss. alloquitur:

Πυλάδη, σὲ γὰρ δὴ πρῶτον ἀνθρώπων ἐγὼ
πιστὸν νομίζω, κτλ.,

v. 1340 Πυλάδη, χαίρων ἴθι.

Pylades saepenumero cum Oreste compellatur: v. 216, 341, 346, 348, 344, 547, 549, 1249, 1284. — V. 1238 usque ad finem fabulae Dioscuri conspiciuntur; alter ab actore repraesentatus pro utroque loquitur, alterius partes muta persona obtinet. Pollucem mutum esse ex v. 1240 sequitur:

Κάστωρ κασίγνητός τε Πολυδεύκης ὅδε.

In Helenes fabula, quae anno 412 in scaenam delata est[2]), nautas aliquot mutos, quamquam non appellantur, v. 68—163 cum Teucro induci verisimile est, cum Teucer v. 147 navem, qua advenit, commemoret. — Menelaus autem solus procedit, nam ex

---

[1]) Arnoldt, Chor. Techn. p. 78.

[2]) cf. Schol. ad Ar. Ran. 53 et Ar. Thesm. 1012.

v. 426s. (*τούς τε περιλελειμμένους φίλων*) et v. 737 (*τοῖς λελειμμένοις φίλοις*) concludimus socios, ex quibus unum poeta loquentem producit (v. 597), a Menelao relictos esse.

Theonoën v. 865—1029 ancillae comitantur:

v. 865 s. *ἡγοῦ σύ μοι φέρουσα λαμπτήρων σέλας*
θεῖόν τε, κτλ.

v. 868 ss. *σὺ δ' αὖ κέλευθον εἴ τις ἔβλαψεν ποδὶ*
στείβων ἀνοσίῳ, δὸς καθαρσίῳ φλογί,
κτλ.

Quas Theonoë in aedes redire iubet:

v. 871 s. *νόμον δὲ τὸν ἐμὸν θεοῖσιν ἀποδοῦσαι πάλιν*
ἐφέστιον φλόγ' ἐς δόμους κομίζετε.

Sed illas servas his verbis compellatas paulo post redisse v. 892, cum iterum ancillae memorentur, videmus:

v. 892 s. *τίς εἶσ' ἀδελφῷ τόνδε σημανῶν ἐμῷ*
παρόνθ', ὅπως ἂν τοὐμὸν ἀσφαλῶς ἔχῃ;

Magna servorum turba Theoclymenum regem, qui v. 1165—1300 et v. 1390—1440 in scaena adstat, sequuntur. Pars illorum famulorum v. 1169s. in aedes regias mittitur:

v. 1169 s. *ὑμεῖς μὲν οὖν κύνας τε καὶ θηρῶν βρόχους*
δμῶες, κομίζετ' ἐς δόμους τυραννικούς.

Alii ministri v. 1180 vocantur

v. 1180 s. *ὠή, χαλᾶτε κλῇθρα· λύεθ' ἱππικὰ*
φάτνης, ὀπαδοί, κἀκκομίζεθ' ἅρματα.[1])

v. 1184 *ἐπίσχετ'.*

Rex v. 1390 iterum ingrediens a multis servis, quos adesse ex v. 1390 clare elucet, deducitur:

v. 1390 s. *χωρεῖτ' ἐφεξῆς, ὡς ἔταξεν ὁ ξένος,*
δμῶες, φέροντες ἐνάλια κτερίσματα.

Singuli Theoclymeni iussu orchestram relinquunt:

v. 1412 s. *χώρει σὺ καὶ ναῦν τοῖσδε πεντηκόντορον*
Σιδωνίαν δὸς κάρετμῶν ἐπιστάτας.

v. 1431 ss. *ἴτω δέ τις*
φράσων ὑπάρχοις τοῖς ἐμοῖς κτλ.

In extrema fabulae parte subito adveniunt Dioscuri, quorum alter ab histrione, alter, quamquam praeter Dioscuros Theoclymenus solus adest, tamen a muta persona repraesentatur, cum nusquam loquatur. Utrumque conspici apparet v. 1643s., cum alter pro utroque verba faciat:

δισσοὶ δέ σε
Διόσκοροι καλοῦμεν.

---

[1]) v. 1180s.: *ἱππικὰ φάτνης* Cron. *ἱππικὰς φάτνας* cod. LP.

In Iphigenia Taurica, quam intra annos 412 et 408, post Helenen ante Oresten, actam esse Zielinskius docuit[1]), de quaestione est disserendum, num praeter chorum, qui compositus est ex ancillis Iphigeniae, aliae servae, quarum partes mutae personae agant, Iphigeniam sequantur. Certe v. 168s. ancilla muta compellatur:

ἀλλ' ἔνδος μοι πάγχρυσον
τεῦχος καὶ λοιβὰν Ἅιδα.

nam illis mandatis servilibus chorum onerari verisimile non est[2]).

Orestes et Pylades captivi v. 456 in orchestram adducuntur et a custodibus et a sacerdotibus mutis. Iphigenia sacerdotes, qui v. 468 appellantur

μέθετε τῶν ξένων χέρας,

v. 470 dimittit: ναοῦ δ' ἔσω στείχοντες εὐτρεπίζετε
ἃ χρὴ 'πὶ τοῖς παροῦσι καὶ νομίζεται,

et v. 624 de illis, qui in aedibus versentur, loquitur:

ἔσω δόμων τῶνδ' εἰσὶν οἷς μέλει τάδε.

custodes autem remanent;
illi v. 638 vocati φυλάσσετ' αὐτούς, πρόσπολοι, δέσμων ἄτερ,
v. 725 demum in templum mittuntur, ut ibi una cum sacerdotibus sacrificia parent:

ἀπέλθεθ' ὑμεῖς κτλ.

Thoantem regem v. 1153 prodeuntem ministros secutos esse v. 1205 conspicuum est

ἴτ' ἐπὶ δεσμά, πρόσπολοι.

Nonnulli ex illis servis Iphigeniae attribuuntur
v. 1208: Ἰφ· σῶν τέ μοι σύμπεμπ' ὀπαδῶν. Θο· οἵδ'
ὁμαρτήσουσί σοι.

Oresten et Pyladen, qui v. 1222 e templo educuntur, magnum numerum mutarum personarum comitari v. 1222ss. in aperto est. — Templi custodes vel sacerdotes, qui sacrificium parent, Iphigeniam ad mare abeuntem non sequuntur, sed in orchestra manent. Illos enim ἄγγελος v. 1284 procedens alloquitur:

ὦ ναοφύλακες βώμιοί τ' ἐπιστάται,
κτλ.

Elucet illis versibus non chorum appellari, praesertim cum v. 1288 chorus verbis 1284ss. non ad se relatis ad nuntium se convertat:

v. 1288 τί δ' ἔστιν, εἰ χρὴ μὴ κελευσθεῖσαν λέγειν;

---

[1]) Th. Zielinski, Tragodumena. Nachr. d. Russ. Akad. 1918, p. 1003ss., 1125ss. (Sonny, PhW. 1923, p. 345ss.). — Murrayus fabulam fortasse ante Electram datam esse arbitratur.

[2]) cf. ancillas, quae praeter chorum cum Hecuba inducuntur, in Eur. Hec. et Troad.

Thoas comites, quibuscum v. 1309 ex aedibus egreditur, v. 1422 alloquitur:

ὦ πάντες ἀστοὶ τῆσδε βαρβάρου χθονός,
κτλ.

Orestes et Pylades v. 1222—1233 muti adstant. Cum iam duae personae, Iphigenia et Thoas, inter se colloquantur, partes Orestis vel Pyladis, quas adhuc actor obtinebat, κωφὸν πρόσωπον suscipit, aut illae duae personae a mutis personis repraesentantur. Sed prius probans partes Pyladis, qui in aliis tragicorum fabulis a muta persona agitur, mutae tribuam personae.

In Phoenissis, quae fabula circa annum 409 scaenae commissa esse videtur[1]), Eteocles ministros mutos secum ducit, e quibus unum, ut Creontem advocet, dimittit. Ille servus his verbis compellatus

v. 690 ss. χώρει σὺ καὶ κόμιζε τὸν Μενοικέως
Κρέοντ', κτλ.,

non abit, cum Creon iam v. 697 appropinquet. — v. 778 rex omnes famulos, quibuscum adstat, alloquitur:

προσπόλοις δ' ἐμοῖς λέγω
ἐκφέρετε τεύχη πάνοπλά τ' ἀμφιβλήματα.

Creon non sine comitibus in scaenam producitur, quos v. 1660 Antigonen corripere iubet:

λάζυσθε τήνδε κἀς δόμους κομίζετε.

Cum his regis satellitibus adsunt aliae mutae personae, quae v. 1485 cadavera Iocastes filiorumque adportant

v. 1627 s. νεκρῶν δὲ τῶνδε τὸν μὲν ἐς δόμους χρεὼν
ἤδη κομίζειν, κτλ.

Ancillae Iocastes, quae v. 1—87, 301—638, 1072—1282 adest, nusquam commemorantur.

Praeter illa κωφὰ πρόσωπα, quae servorum partes agunt, filia Tiresiae a muta persona acta senem adducit:

v. 834 ss. ἡγοῦ πάροιθε, θύγατερ· ὡς τυφλῷ ποδὶ
ὀφθαλμὸς εἶ σύ, κτλ.

v. 953 s. ἡγοῦ, τέκνον,
πρὸς οἶκον.

In fabula Orestis, quae anno 408, ut ex scholiis (ad v. 371) discimus, docta est, Helenen comites ducunt, qui v. 71—125 non compellantur; v. 1110 demum Helenen non solam intravisse comperimus, cum Orestes illos Phrygios satellites (ὀπάονας) commemoret. — Tyndareus v. 470 cum ministris mutis progreditur, quos v. 474[2]) et v. 629 alloquitur

[1]) cf. schol. ad Ar. Ran. 53.

[2]) cf. schol. adnot. ad hunc versum: ὦ θεράποντες.

v. 474 *ἄγετέ με.*

v. 629 *ἡμᾶς δ' ἀπ' οἴκων ἄγετε τῶνδε, πρόσπολοι.*

Menelaum a paucis satellitibus deduci facile est cognitu:

v. 690 *σμικρᾷ σὺν ἀλκῇ τῶν λελειμμένων φίλων.*

Ad illos comites v. 1561 s. se convertit:

ἀνοιγέτω τις δῶμα· προσπόλοις λέγω
ὠθεῖν πύλας τάσδ'.

Praeter hos ministros, qui Helenen, Tyndareum, Menelaum comitantur, singulae mutae personae inveniri possunt, quas poeta, quoniam histrionum numerus conclusus est, in scaenam producere cogitur. — Hermione enim v. 112—125 nulla verba faciens a muta persona repraesentata adest. Cum tres iam adstent actores, qui partes Helenes, Electrae, Orestis obtinent, poeta muta persona, quae Hermiones partes agat, utitur. Helenes filia v. 111 s. advocatur: *ὦ τέκνον, ἔξελθ', Ἑρμιόνη, κτλ.*, quae iam v. 125 scaenam relinquit: *ἴθ', ὦ τέκνον μοι, σπεῦδε, κτλ.* Tres mutae personae v. 1567 cum Oreste, qui in tecto stat, conspiciuntur: Pylades, Hermione, Electra, quarum partibus adhuc histriones perfuncti sunt. Actores v. 1567 repraesentant Oresten, Menelaum, Apollinem, ut *κωφὰ πρόσωπα* personas Pyladis, Hermiones, Electrae suscipiant. — Hermionen adesse apparet ex verbis patris

v. 1575 *ξίφος δ' ἐμῆς θυγατρὸς ἐπίφρουρον δέρῃ.*

v. 1608 *ἄπαιρε θυγατρὸς φάσγανον.*

Pyladen Menelaus voce compellat:

v. 1591 *ἦ καὶ σύ, Πυλάδη, τοῦδε κοινωνεῖς φόνου;*

Pro Pylade, qui a muta persona actus tacere cogitur, Orestes „*φησὶν σιωπῶν*“ respondet, qui v. 1618 ss. sororem et amicum alloquitur:

v. 1618 ss. *ἀλλ' εἶ', ὕφαπτε δώματ', Ἠλέκτρα, τάδε·*
σύ τ', ὦ φίλων μοι τῶν ἐμῶν σαφέστατε,
Πυλάδη, κάταιθε γεῖσα τειχέων τάδε.

Mortuo poeta filii nomine B a c c h a e in scaenam sunt delatae[1]). Hac in fabula Pentheus v. 215 cum ministris prodit, e quibus unus regis iussu abit:

v. 346 ss. *στειχέτω τις ὡς τάχος*
κτλ.

complures v. 352 discedunt, ut Dionysum prehendant:

v. 352 s. *οἳ δ' ἀνὰ πόλιν στείχοντες ἐξιχνεύσατε*
τὸν θηλύμορφον ξένον.

Unus ex illis famulis, cuius partes nunc histrio agit, v. 434 revertitur; ceteros servos sequi cognoscimus ex verbis ministri

v. 434 *πάρεσμεν τήνδ' ἄγραν ἠγρευκότες.*

---

[1]) cf. schol. ad. Ar. Ran. 63.

Omnes ministri v. 451, 503, 509 voce compellantur. — Pentheum iterum ineuntem (v. 642) servi v. 653 et v. 809 commemorati prosequuntur. Ex illis ministris, qui eum v. 918—976 comitantur, unus ab actore repraesentatus progreditur, qui inter servos Penthei in saltus abeuntis (v. 976) se fuisse ait:

v. 1046 δεσπότῃ γὰρ εἱπόμην.

Cadmi famuli v. 1216 corpus Penthei defuncti afferunt:

v. 1216 s. ἕπεσθέ μοι, φέροντες ἄθλιον βάρος
Πενθέως, ἕπεσθε, πρόσπολοι.

Tiresiam vatem hac in fabula a puero[1]) vel a puella — ut in ceteris tragicorum fabulis in quibus caecus oraculorum interpres prodit — non deduci v. 193 s. apparet:

Κα· γέρων γέροντα παιδαγωγήσω σ' ἐγώ.
Τι· ὁ θεὸς ἀμοχθὶ κεῖσε νῷν ἡγήσεται.

Iphigenia Aulidensis, quam Euripides imperfectam reliquit, expleta et scaenae commissa est circa annum 406 ab Euripide minore[2]). Initio huius fabulae Agamemno cum servo colloquitur; muti regis ministri v. 1—163, 311—542, 630—750, 1106—1275 non commemorantur. Tamen nonnullos famulos cum rege in scaena versatos esse v. 1340 et v. 1403 conspicuum est, quibus versibus Iphigenia patris servos compellat:

v. 1340 διαχαλᾶτέ μοι μέλαθρα, δμῶες.
v. 1463 πατρὸς δ' ὀπαδῶν τῶνδέ τις με πεμπέτω.

Clytaemestram et servae et servi, qui equos currus, quo sedens regina v. 607 in orchestram vecta est (v. 599, 616, 619, 623), ducant atque abducant, prosequuntur. Ancillas Clytaemestra alloquitur:

v. 619 αἳ δ' ἐς τὸ πρόσθεν στῆτε πωλικῶν ζυγῶν.
v. 621 s. καὶ παῖδα τόνδε τὸν Ἀγαμέμνονος γόνον
λάζυσθ'.

Cum Clytaemestra Orestes mutus conspicitur:

v. 623 ss. τέκνον, καθεύδεις, κτλ.

v. 1120 Iphigenia Oresten fratrem secum ducit:

v. 1117 ss. χώρει δέ, θύγατερ, ἐκτός, —
— χὐπὸ τοῖς πέπλοις ἄγε
λαβοῦσ' Ὀρέστην, σὸν κασίγνητον, τέκνον.

Qui puer et saepius commemoratur: v. 1120, 1164 s., 1450 ss. Achillem v. 801—1035 famuli comitantur; v. 802 servus abit:

τίς ἂν φράσειε προσπόλων τὸν Πηλέως
ζητοῦντά νιν παῖδ' ἐν πύλαις Ἀχιλλέα;

v. 1338 Iphigenia Achillem cum turba militum appropinquare indicat:

ἀνδρῶν ὄχλον εἰσορῶ πέλας.

---

[1]) v. 170 (τίς ἐν πύλαισι), 173 (ἴτω τις, εἰσάγγελλε) servum vocari, qui in aedibus versans a spectatoribus non conspicitur, verisimile est.

[2]) cf. Murrayi adnotationes, quas fecit in editione post personarum indicem.

quos comites armatos Achilles v. 1359 demonstrat:

εἰσορᾷς τεύχη φέροντας τούσδε;

In Rheso, quae fabula a poeta quarti saeculi docta est[1]), chorus v. 1ss. non se ipsum ut scholiastes suspicatur adnotans „βᾶθι ἀντὶ τοῦ βῶμεν. — οἱ φύλακες ἐν χοροῦ σχήματι παρακελεύονται ἑαυτοῖς", sed satellites Hectoris alloquitur:

βᾶθι πρὸς εὐνὰς τὰς Ἑκτορέους
τίς ὑπασπιστῶν ἄγρυπνος βασιλέως
ἢ τευχοφόρων.

Nam verbo „ὑπασπιστής" significatur clipeatus satelles[2]) et verbo „τευχοφόρος" armiger. Chorum autem ex custodibus compositum esse ex verbis chori, qui custodiam exercitus se esse dicit, conicere licet (v. 5s., v. 15). In Aristophanis argumento haec sunt servata: ὁ χορὸς συνέστηκεν ἐκ φυλάκων Τρωικῶν, οἳ καὶ προλογίζουσιν. Inter illos Troianos Dolon versatur, qui Hectoris iussu procedit:

v. 149s. τίς δῆτα Τρώων οἳ πάρεισιν ἐν λόγῳ
θέλει κατόπτης ναῦς ἐπ' Ἀργείων μολεῖν;

Qui milites Hectorem v. 526 secuti iterum v. 808 progrediuntur. Ab Hectore pars illorum v. 877s. in aedes mittitur:

λάζυσθ'· ἄγοντες αὐτὸν ἐς δόμους ἐμούς,
οὕτως ὅπως ἂν μὴ 'γκαλῇ πορσύνετε.[3])

pars v. 879 abit:

ὑμᾶς δ' ἰόντας τοῖσιν ἐν τείχει χρεὼν
Πριάμῳ τε καὶ γέρουσι σημῆναι κτλ.

Rhesum v. 388—526 nonnulli comitantur milites ab Hectore voce compellati:

v. 518 νῦν μὲν καταυλίσθητε.

Quo anno Cyclops acta sit, incertum est; Wilamowitzius[4]) fabulam non multo post Hippolytum (a. 428), Murrayus[5]) vel ante 438 fortasse doctam esse suspicatur. — In Cyclope cum choro v. 41 ministri Sileni prodeunt greges compellentes; qui servi v. 82s. commemorantur

ἄντρα δ' ἐς πετρηρεφῆ
ποίμνας ἀθροῖσαι προσπόλους κελεύσατε.

---

[1]) cf. Wilamowitz, De Rhesi scholiis (Progr. Gryph. 1879); Hermes LXI (1926), p. 284; I. Geffcken, Literaturgesch. I. Anmerkg. p. 196, 1; Howald, Griech. Trag. p. 180s.; Pohlenz, Griech. Trag. I p. 507ss. — Contra H. Steiger (Erbe der Alten V, 1912, p. 90ss.) Rhesum Euripideum servatum esse arbitratur.

[2]) Suidas „ὑπασπιστὰς" δορυφόρους esse dicit. Etiam in scholiis adnotatur (ad v. 2): ὁ ὑπασπιστὴς ἴδιον ὄνομα, σύνεγγυς παρασπίζων τοῦ βασιλέως, ὁ γὰρ τευχοφόρος κοινὸς παντὸς ὁπλίτου.

[3]) μὴ καλῇ cod. V, πορσύνεται cod. P.

[4]) Wilamowitz, Griech. Trag. VIII. p. 13, 20.

[5]) Murrayus in adnotationibus, quas fecit in editione (I) post personarum indicem.

Quae Sileni verba accipiens chorus famulos iubet: *χωρεῖτε*. — Illi servi etiam v. 137, 162 (*ἐκφέρετε*) ab Ulixe voce compellantur, cum verisimile non sit oves et vasa (v. 189s., 224s.) a Sileno solo e spelunca afferri[1]); Wieseler[2]) crateram haud exiguam non a Sileno ebrio, sed a servis in orchestram adportatam esse recte observavit. Silenus complures satellites, quibuscum Ulixes inducitur, accedere conspicit:

v. 85 ss. *ὁρῶ πρὸς ἀκταῖς ναὸς Ἑλλάδος σκάφος*
κώπης τ' ἄνακτας σὺν στρατηλάτῃ τινὶ
στείχοντας ἐς τόδ' ἄντρον.

et saepius[3]) eos alloquitur; quos plures quam duos fuisse v. 379ss., cum duos a Polyphemo necatos esse narretur, apparet. Cum ceteris Ulixes Cyclopem caecat:

v. 650 s. *τοῖσι δ' οἰκείοις φίλοις*
χρῆσθαι μ' ἀνάγκη.

Sex vel plures comites Ulixi fuisse Wieseler putat[3]).

In Phaëthontis[4]) fragmentis, quae fabula circa annos 430—425 in scaenam delata est[5]), ancillae Clymenes chorum constituunt:

Cod. Clarom. I, col. 2 v. 10 *καὶ γὰρ αἵδ' ἔξω δόμων*
δμῳαὶ περῶσιν.

Num aliae servae, quarum partes *κωφὰ πρόσωπα* agant, Clymenen secutae sint, in incerto habetur, quia in fragmentis non commemorantur. Sed *κῆρυξ ἱερός*

Cod. Clarom. I, col. 3 v. 66 ss.:

Ὠκεανοῦ πεδίων οἰκήτορες
εὐφαμεῖτ' ὦ
ἐκτόπιοί τε δόμων ἀπαείρατε,
ὦ ἴτε λαοί,

ad mutas se convertit personas, quae praeconis iussu vel abeunt vel tacite adstantes remanent; illae personae, cum chorus ex ancillis compositus hisce verbis non vocetur, partibus ministrorum vel satellitum Meropis perfunguntur.

Quo anno Antiope data sit cuique trilogiae tribuenda sit, in medio relinquam; hoc tantum constat eam intra annos 411 (post Andromedam 412) et 408 actam esse[6]). — In Antiopes exodo[7]),

---

[1]) cf. Wieseler, Abh GWG. 1881, p. 15. [2]) l. c. p. 23. [3]) l. c. p. 15.

[4]) Fragm.: Arnim, Suppl. Eurip. p. 67—80; Nauck[2] fr. 771—786.

[5]) cf. Arnim, l. c. p. 67; I. Geffcken, Literaturgesch. I, Anmerkg. p. 179, 129.

[6]) De hac quaestione, quae ducta est ab illis verbis in scholiis ad Ar. Ran. servatis, ubi mentione Andromedae facta dicitur: *διὰ τί δὲ μὴ ἄλλο τι τῶν πρὸ ὀλίγου διδαχθέντων καὶ καλῶν Ὑψιπύλης, Φοινισσῶν, Ἀντιόπης*, confer Dieterich, RE[2]. VI. 1, 1266; Wilamowitz, Anal. Eurip. p. 148; Wilamowitz, Herakles I[2], p. 137; Wecklein, SBMünch. 1878, II. p. 170ss. — cetera vide ap. G. Italie, Euripidis Hypsipyla (Berol. 1923) p. IXss. [7]) Arnim, l. c. p. 18—22.

quae fragmentis nuper repertis[1]) continetur, mutae personae inveniuntur. — Sicuti Amphion et Zethus fratres cum matre domum pastoris ingressi sunt, Lycus procedit cum compluribus comitibus mutis, quos rex a pastore quocum colloquitur[2]) adductus (B 13—15) dimittit; solus aedes intrat, pastor sequi videtur. Fratres regi, cuius lamentationes percipiuntur (C 26, 28), vim inferunt. Uterque, ut Lyco plagam extremam infligat, in orchestram progreditur, alter ab actore, alter a muta persona repraesentatus. Cum Mercurius iam C 40 producatur et ceteri actores partes Lyci et fratris alterius obtineant, hic ergo quattuor personae adsunt in orchestra. Non habemus, quod actore extra ordinem ascito utamur, et illis, qui forte censeant quartum actorem vel parachoregema partes Mercurii suscepisse, obloquor, cum dilucide appareat poetam hac in fabulae parte mutam induxisse personam; summi enim est discriminis, quod alter frater, qui adhuc inter loquentes erat, hoc loco, quo una cum personis quae colloquuntur tribus in orchestra adsit, nulla verba facit. Quamquam Lycus utrumque alloquitur, tamen alter respondet, alter mutus adstat v. 32 ss. — Quippe res ita sese habet, ut quarto histrione, qui partibus Mercurii fungatur, opus non sit.

In Hypsipyla[3]), quae intra annos 411 et 408 scaenae commissa est[4]), Archemorus *κωφὸν πρόσωπον* nobis occurrit, Lycurgi et Eurydices filiolus. Ad illum alumnum Hypsipyle se convertit nutricis officio fungens

Pap. Fr. 1 col. I. 1—3 *γρα[. . . . .]εοις*
ἥξε[ι δ' ἄρ' αὖθι]ς π[όλλ' ἔχων ἀ]θύρματα
ἅ σῶν [ὀ]δυρμῶν ἐκγαλη[νιεῖ φ]ρένας.

Hypsipyle Pap. Fr. 1 col. II carmen ad puerum cantat, quem crepitaculo crotalorum delectare vel consolari conatur; post illud carmen infantem non in bracchiis Hypsipyles, sed in lecto vel cunis positum esse G. Italie[5]) recte perspexit haec chori verba afferens

Pap. Fr. 1 col. II. v. 16 ss. *πότερα δώματος εἰσόδους σαίρεις κτλ.*

Amphiaraus Pap. Fr. 1 col. IV. v. 15 cum armatis mutis prodit, quos chorus accedentes videt:

v. 11 ss. *τίνος ἐμπορίᾳ τούσδ' ἐγγὺς ὁρῶ*
πελάτας ξείνους Δωρίδι πέπλων
ἐσθῆτι σαφεῖς πρὸς τούσδε δόμους
στείχοντας ἐρῆμον ἀν' ἄλσος;

---

[1]) Flinders-Petrie Papyri I. 1, 2.

[2]) cf. Wecklein, Philologus LXXIX (1924), p. 53, 69; H. Schaal, De Euripidis Hypsipyla. Diss. Berol. 1914, p. 38 s.

[3]) Arnim, Suppl. Eur. p. 46—67; Nauck² fr. 752.

[4]) De quaestione, num Phoenissae, Hypsipyle, Antiope pro trilogia habendae anno 408 in scaenam sint delatae, confer G. Italie, l. c. p. IX. ss.; Dieterich, RE².VI. 1, p. 1266; Zielinski, Mnemosyne 50 (1922), p. 326.

[5]) G. Italie, l. c. p. 8.

notatu digna sunt etiam verba Hypsipyles et Amphiarai

v. 33 *[τί]νες μολόντες καὶ χ[θ]ονὸς ποίας ἄπο;*

v. 34 *ἐκ τῶν Μυκηνῶν [ἐσ]μὲν Ἀργεῖοι γέν[ος.*

Mutae personae iterum Pap. Fr. 60 producuntur custodum partes agentes, qui Hypsipylen vinctam[1]) capitisque damnatam custodiant; illos ministros Hypsipyle vocat: *ἄγετε.*

Quattuor vero personae Pap. Fr. 64 col. II in conspectu sunt: Hypsipyle, Amphiaraus, Euneus, Thoas. Grenfell-Hunt fragmentorum editores poetam quarto actore in exodo fabulae usum esse opinantur, quia ad v. 69 adscriptum sit: *οἱ Ὑψιπ(ύλης) υἱοί.* Sed duos filios quidem adfuisse, unum autem prolocutum esse ex verbis Hypsipyles quibus respondet concludo: *ὦ τέκνον, κτλ.* (cf. et v. 101/102); alterius igitur partes, ut in Antiopa, muta suscipit persona, alter ab actore agitur[2]).

In fragmento[3]) quod servatum est Cretum, quam fabulam ante a. 406 actam esse I. Geffcken[4]) suspicatur, Minos mutos secum ducit comites, quos Pasiphaen comprehendere iubet:

v. 45 ss. *χωρεῖτε, λόγχη [. . . . . ο]υμένη*
λάζυσθε τὴν πανο[ῦργον, ὡ]ς καλῶς θάνηι,
καὶ τὴν ξυνεργὸν [τήνδε, δ]ωμάτων δ' ἔσω
[ἄγο]ντες αὐτὰς ἕρ[ξαθ'.

Adiutrix[5]), quae

v. 1 *οὐ γάρ τιν' ἄλλην φημὶ τολμῆσαι τάδε*

v. 47 *τὴν ξυνεργὸν [τήνδε.*

commemoratur, ab tertio actore agi potest, cum duo histriones colloquantur in hac fabulae parte, quae ad nos pervenit; poetam igitur muta persona, quae partes adiutricis suscipiat, usum esse ex illis paucis versibus, qui servati sunt, conici non potest.

Cetera addere neque opus est neque iuvat, cum fragmenta ceterarum Euripidis fabularum minora sint quam ut mutae personae quae inducantur cognosci possint.

Aristophanes.

In Acharnensibus, quae fabula Lenaeis anni 425 acta est, v. 43 prytanes prodeunt a mutis personis repraesentati; illos viros, qui contioni praesunt, Dicaeopolis appropinquare videt:

v. 40 *ἀλλ' οἱ πρυτάνεις γὰρ οὑτοιὶ μεσημβρινοί.*

---

[1]) Pap. fr. 60 v. 29.

[2]) cf. Wecklein, SBMünch. 1909. p. 30; H. v. Herwerden, G. Italie *παραχορήγημα* postulant alteri versum 69, alteri versum 70 tribuentes.

[3]) Fragm.: BKT. V. 2. p. 73; Arnim, Suppl. Eur. p. 22—24.

[4]) I. Geffcken, Literaturgesch. I. Anmerkg. p. 193, 112.

[5]) cf. Arnim, l. c. p. 22. adnot.

Ab actoribus voce compellantur v. 56 ὦ ἄνδρες πρυτάνεις, et saepius (v. 60, 133, 153 s., 167 ss.). Prytanes non mutas personas esse opinantur Brunckius, qui verba: τίς ὤν; — οὐκ ἄνθρωπος (v. 46), οἱ τοξόται (v. 54), κάθησο σῖγα (v. 59) non praeconi, sed prytani attribuit secundum scholiastae adnotationem[1]) et codicem B, in quo illi versus prytanis sunt, et Blaydesius, qui in personarum indice post „κῆρυξ" inserit „πρυτάνεις". Contra Beerius[2]) personam praeconis tuens existimat verba prytanis non tam clara voce, ut ab universa contione audiantur, pronuntiari et singula verba a praecone repeti. Actor praeconis, qui iussa prytanis peragit, pro mutis loquitur. Cum prytanibus cives Athenienses introeunt, quos praeco advocat:

v. 43 s. πάριθ' ἐς τὸ πρόσθεν, πάριθ', κτλ.

quae forma solemnis totam complectitur contionem[3]). Nihil habemus, quod cives commenticiae fuerint personae[4]), quae revera non ingressae sint; permultae enim mutae personae nunquam non produci potuerunt a poetis. — Praeter illos Athenienses, inter quos Amphitheus versatur, custodes urbis, sagittarii Scythici[5]) intrant, qui a praecone ut Amphitheum abducant advocantur: οἱ τοξόται. Ex legatis, qui v. 61 procedunt, unus loquitur; quot ceteri muti adstantes fuerint, ex verbis poetae cognosci non potest. Quos accedere v. 60 indicatur: οἱ πρέσβεις οἱ παρὰ βασιλέως. Pseudartabanem v. 91 ss. duo sequuntur eunuchi, quos Dicaeopolis agnoscit Clisthenem et Stratonem iuvenes Athenienses:

v. 115 s. Ἑλληνικόν γ' ἐπένευσαν ἄνδρες οὑτοιί.
κτλ.

Legati v. 125 cum comitatu mutarum personarum abeunt. — Theorum legatum (v. 134—172) complures Thraces comitantur:

v. 153 s. καὶ νῦν ὅπερ μαχιμώτατον Θρᾳκῶν ἔθνος
ἔπεμψεν ὑμῖν.

v. 155 οἱ Θρᾷκες ἴτε δεῦρ', οὓς Θέωρος ἤγαγεν.

et saepius memorantur v. 159, 161, 165, 166. Post versus 172 ss. omnia κωφὰ πρόσωπα orchestram relinquunt.

Cum Dicaeopolide filiaque eius aliquot servi et uxor Dicaeopolidis progrediuntur; unus ex servis nomine appellatur

v. 243 ὁ Ξανθίας τὸν φαλλὸν ὀρθὸν στησάτω.

v. 259 s. ὦ Ξανθία, κτλ.

Praeter famulum illis versibus compellatum alios ministros adesse versus 249 docet: μετὰ τῶν οἰκετῶν. Uxorem Dicaeopolidis alloquuntur

---

[1]) schol. adnot. ad v. 54: τοῦτό φησι εἷς τῶν πρυτάνεων.
[2]) C. Beer, Zahl der Schauspieler bei Aristophanes. Leipzig 1884, p. 54.
[3]) cf. Eq. 751; Eccl. 129; Ach. 242. [4]) cf. Westphal, quaest. scaen. p. 49.
[5]) De sagittariis Scythicis v. schol. adn. ad v. 54.

et filia v. 245 *ὦ μῆτερ, κτλ.*

et Dicaeopolis v. 259 s. *σὺ δ', ὦ γύναι, κτλ.*

Editio Aldina versus 244 et 253—258 matri dat; sed Beerium[1]) sequor ratum illa verba obscoena, quae matrem non decent, Dicaeopolidi, cuius est pompam constituere, tribuenda esse[2]). — V. 719—835 cum Dicaeopolide minister adest, qui v. 805 iubetur puellis[3]) caricas afferre

v. 805 s. *ἐνεγκάτω τις ἔνδοθεν τῶν ἰσχάδων*
τοῖς χοιριδίοισιν.

Quod mandatum peractum esse conspicuum est v. 807: *οἷον ῥοθιάζουσ'.* — Tres agoranomi, qui constituti sunt, ut venditores coerceant, in hac fabulae parte in scaena versantur. Dicaeopolis illos ministros, qui in scholiis (ad v. 723) „*λογισταί*" nominantur, v. 723 commemorat et v. 824 s. sycophanten abigere iubet. Quos v. 860—970 adesse v. 986 intellegimus: *τοὺς ἀγορανόμους καλῶ.* —Boeotum v 860 prodeuntem servus et tibicines a mutis personis acti sequuntur. Minister vocatur

v. 861 *κατάθου τὺ τὰν γλάχων' ἀτρέμας, Ἰσμηνία.*
v. 954 *ὑπόκυπτε τὰν τύλαν ἰών, Ἰσμήνιχε.*

Tibicines compellantur

a Boeoto v. 862 s. *ὑμὲς δ', ὅσοι Θείβαθεν αὐληταὶ πάρα,*
τοῖς ὀστίνοις φυσῆτε τὸν πρωκτὸν κυνός.

a Dicaeopolide v. 864 ss.[4]) *οἱ σφῆκες οὐκ ἀπὸ τῶν θυρῶν;*
πόθεν προσέπτονθ' οἱ κακῶς ἀπολούμενοι
ἐπὶ τὴν θύραν μοι Χαιριδῆς βομβαύλιοι;

Dicaeopolis illis verbis v. 864 domo egrediens a servis mutis deducitur, quos v. 887 s. foculum et follem exportare iubet

δμῶες, ἐξενέγκατε
τὴν ἐσχάραν μοι δεῦρο καὶ τὴν ῥιπίδα,

et saepius ad eos se convertit: v. 889, 891 s., 893. Dicaeopolis v. 1003 formulam sollemnem praeconum percipiens orchestram intrat atque servos et uxorem filiamque advocat, ut cenam parent

v. 1003 *ὦ παῖδες, ὦ γυναῖκες, κτλ.*

Haec *κωφὰ πρόσωπα* alloquitur v. 1014, 1040 s., 1043, 1047.

Cum paranympho prodit v. 1048 muta persona, quae partibus nuptae, cui Dicaeopolis aurem praebet, perfungitur:

v. 1058 ss. *φέρε δή, τί σὺ λέγεις; κτλ.*

Lamachus et Dicaeopolis v. 1096 ss. famulos alloquuntur; Dicaeopolis Lamachi verba imitans apparatum cenatorium efferri,

---

[1]) l. c. p. 54 s. [2]) Murrayus v. 244 et 253—258 Dicaeopolidi attribuit.

[3]) Puellae civis Megarensis, quoniam pauca loquuntur, a parachoregematis repraesentantur.

[4]) cf. schol. adnot. ad v. 864: *μετὰ τοῦ Θηβαίου δὲ πολλοὶ αὐληταὶ ἦλθον εἰς τὰς θύρας τοῦ Δικαιοπόλιδος.*

Lamachus arma adportari iubet; v. 1141 s. servi domino se scaena decedentes sequuntur. Unus e Lamachi ministris v. 1174 redit ab actore repraesentatus; ceteri muti v. 1190 Lamachum in orchestram afferunt, quos induci manifestum est

v. 1214 s. *λάβεσθέ μου, λάβεσθε τοῦ σκέλους παπαῖ,*
προσλάβεσθ', ὦ φίλοι.

v. 1222 s. *θύραζέ μ' ἐξενέγκατ' ἐς τοῦ Πιττάλου*
παιωνίαισι χερσίν.

Dicaeopolis v. 1198 a convivio rediens cum duabus meretricibus procedit, quas v. 1200, 1209, 1210, 1216 s., 1224 s., 1227, 1231 alloquitur.

In fabula Equitum, quae Lenaeis anni 424 primo praemio ornata est, mutae personae in exitu fabulae demum producuntur. — Puerum sellam afferentem *ἀλλαντοπώλης* vocat:

1384 ss. *ἔχε νυν ἐπὶ τούτοις τουτονὶ τὸν ὀκλαδίαν*
καὶ παῖδ' ἐνόρχην, ὅσπερ οἴσει τόνδε σοι·
κἄν που δοκῇ σοι, τοῦτον ὀκλαδίαν ποίει.

v. 1389 a comico *αἱ Σπονδαὶ* inducuntur, quae sub specie puellarum prodeunt[1]); quas meretrices *ἀλλοντοπώλης* advocat:

v. 1389 *δεῦρ', ἴθ' αἱ σπονδαὶ ταχύ.*

Demus eas v. 1390 alloquitur:

ὦ Ζεῦ πολυτίμηθ', ὡς καλαί.

cf. schol. ad v. 1388: *πόρνας εἰσφέρει* et ad v. 1390: *εἰσῆλθον αἱ σπονδαὶ ἑταῖραι ὡραῖαι τὰς ὄψεις, ὑποκρινόμεναι τὰ πρόσωπα τῶν σπονδῶν, πρὸς ἃς λέγει ὁ δῆμος.* — v. 1407 s. servi advocantur

καὶ ἐκεῖνον ἐκφερέτω τις ὡς ἐπὶ τὴν τέχνην
ἵν' ἴδωσιν αὐτὸν οἷς ἐλωβᾶθ' οἱ ξένοι,

ut Paphlagonem abducant.

Fabula Nubium, quae ad nos pervenit, anno 423 in scaenam est delata. Cum discipulus ianitor, cuius partes histrio agit, iussu Strepsiadis (v. 181 ss.) portam aperiat, ceteri discipuli conspiciuntur, quos Strepsiades v. 187 (*οὑτοιί*), v. 188 (*οὗτοι*), 191, 192 animadvertit et v. 189 alloquitur: *μή νυν τουτογὶ φροντίζετε.* Illae mutae personae v. 195 in aedes interiores abeunt:

ἀλλ' εἴσιθ', ἵνα μὴ κεῖνος ὑμῖν ἐπιτύχῃ.

Molam et coronas, quibus Socrates v. 225 s. ad sacra peragenda utitur, ab nonnullis discipulis afferri Leeuwenius suspicatur. Sed illas res, cum mutae personae nusquam memorentur, iam adesse certum videtur esse, ut poeta discipulos mutos producere non cogatur.

Pasiam v. 1214—1258 testis mutus comitatur, quocum colloquens senex procedit; recte in scholiis adnotatum est ad v. 1214:

---

[1]) cf. L. Deubner in: Roscher, ML. III. 2106.

οὗτος δανειστὴς Στρεψιάδου Πασίας, ἄγων σὺν ἑαυτῷ μάρτυρα, ᾧ διαλέγεται ἀσχάλλων κτλ.; testem Pasias alloquitur

v. 1218 *ἕλκω σε κλητεύσοντα*

et v. 1246 *τί σοι δοκεῖ δράσειν; ἀποδώσειν μοι δοκεῖ.*

quem versum totum Pasiae dedunt Beerius[1]) et editores[2]); in scholiis testi tribuitur pars prior, Pasiae pars posterior, in codicibus pars prior Pasiae, testi pars posterior[3]). Cum duo adsint actores (Pasias et Strepsiades), partes testis tertius actor suscipere potest; tamen testem nulla verba loquentem a muta persona, cum tales testes nisi muti a comico non producantur[4]), repraesentari mihi persuasum est.

Xanthias, servus Strepsiadis, qui initio fabulae inter colloquentes est, v. 1485[5]) accurrit a muta persona actus: *δεῦρο, δεῦρ', ὦ Ξανθία.* Domini iussu scalas affert et tectum conscendit (v. 1486 ss.). Ille famulus et a Socrate v. 1502 *οὗτος, τί ποιεῖς ἐτεὸν οὑπὶ τοῦ τέγους* et a Strepsiade v. 1508[6]): *δίωκε, βάλλε, παῖε* voce compellatur. — Alios Socratis discipulos praeter colloquentes in exitu fabulae concurrere ex verbis poetae colligi non potest.

V e s p a s doctas esse magnis Dionysiis anni 422 Iulius Richter[7]), I. v. Leeuwen[8]), Lenaeis eiusdem anni I. G. Droysen[9]), Ud. de Wilamowitz[10]) censent. Hac in fabula chorum e senibus constantem v. 230—414 pueri, e quibus unus loquitur, comitantur. Complures pueros lucernas gestantes intravisse ex v. 255 sequitur:

ἀποσβέσαντες τοὺς λύχνους ἄπιμεν οἴκαδ' αὐτοί.

Iulius Richter[11]) omnes pueros a parachoregematis repraesentari existimat; sed cum uno colloquente ceteri taceant, personam unius parachoregema, partes ceterorum *κωφὰ πρόσωπα* obtinent. Quot pueri fuerint, pro certo dici non potest; tres fuisse I. Richter[12]), sex G. Dindorf[13]) suspicatus est. — Chorus pueros v. 409 ss., ut Cleonem arcessant, de scaena mittit; quod mandatum non peragitur, neque pueri enim redeunt neque Cleo accurrit.

A Bdelycleone tres servi advocantur, qui Philocleonem senem denuo comprehendant:

v. 433 ss. *ὦ Μίδα καὶ Φρὺξ βοήθει δεῦρο καὶ Μασυντία,*
καὶ λάβεσθε τουτουί, κτλ.,
v. 439 *περιορᾷς οὕτω μ' ὑπ' ἀνδρῶν βαρβάρων χειρούμενον.*
v. 452 *ἀλλ' ἄνες με καὶ σὺ καὶ σύ, πρὶν τὸν υἱὸν ἐκδραμεῖν.*

---

1) l. c. p. 116.
2) Teuffel, Kaehler, Leeuwen, alii.
3) Ut in codicibus sic in ed. Oxon. pars posterior huiusce versus testis est.
4) Vesp. 937, 1412, 1417; Plut. 891.
5) cf. schol. adnot. ad v. 1485.
6) cf. schol. adnot. ad v. 1508.
7) ed. praef. p. 1 ss.
8) Mnemosyne XVI (1888), p. 251 ss.; p. 263.
9) Übersetzung² I, p. 255 s.
10) SBBerl. 1911, p. 460 ss., 465.
11) ed. praef. p. 53 ss.
12) ed. praef. p. 53 ss.
13) ed. adnot. ad v. 248.

Non solum illos tres servos nomine vocatos, sed plures quam viginti et quattuor famulos accurrere verisimile est, quoniam choreutae repelluntur[1]). Bdelycleonis iussu ministri, qui adhuc senem manibus tenuerunt, v. 522 Philocleonem mittunt:

ἄφετέ νυν ἅπαντες αὐτόν.

et gladium afferunt: *καὶ ξίφος γέ μοι δότε.* illi servi v. 529 et 860 commemorantur.

Sosias v. 891 cum duobus canibus, i. e. cum duobus hominibus canum speciem referentibus, quorum partes obtinent mutae personae, prodeunt. Illae personae, quamquam non tacite omnino partes suas peragunt sed aliquoties eiulant, tamen inter *κωφὰ πρόσωπα* sunt recensendae, cum verba non faciant. Canis reus commemoratur

v. 899 *καὶ μὴν ὁ φεύγων οὑτοσὶ Λάβης πάρα.*

canis accusator v. 902s.

ποῦ δ' ⟨ἐσθ'⟩ ὁ διώκων, ὁ Κυδαθηναιεὺς κύων;
πάρεστιν οὗτος.

v. 937ss. testes in lite Lachetis adhibiti advocantur, quorum partes mutae personae agunt ita exornatae, ut catinum (*τρύβλιον*), pistillum (*δοίδυκα*), radulam (*τυρόκνηστιν*), focum (*ἐσχάραν*), ollam (*χύτραν*), reliquam supellectilem repraesentent. — Radula v. 963 procedit, quae nutu capitis verba Bdelycleonis affirmare videtur; Bdelycleo enim dicit: *φησὶ κατακνῆσαι.* Nonnullos catulos v. 976 advocatos (*ποῦ τὰ παιδία;*) Bdelycleo v. 977ss. alloquitur:

ἀναβαίνετ', ὦ πονηρά, καὶ κνυζούμενα
αἰτεῖτε κἀντιβολεῖτε καὶ δακρύετε.

Qui catuli his verbis compellati dantur a mutis personis, quarum partibus pueri aliquot perfunguntur. V. 1008 cum actoribus abeunt omnia *κωφὰ πρόσωπα*: canis accusator, canis reus cum suis, testes, servi.

Pater et filius cum parabasi finita redeant, servum mutum, qui laenam de qua altercantur manibus fert, secum ducunt. Ille minister v. 1154 de scaena missus (*σὺ δ' οὖν ἴθι*) iterum advocatur, ut dapes paret: v. 1251 *παῖ παῖ, τὸ δεῖπνον οἶσε· συσκεύαζε νῷν.* v. 1264 famulus cum domino scaenam relinquit: *ἄγε νῦν, ἴωμεν.* Philocleonem ebrium, quem tibicina muta comitatur, v. 1326 convivae persequuntur, quibus v. 1329ss. minatur:

οἷον, εἰ μὴ ἐρρήσεθ', ὑμᾶς
ὦ πονηροὶ ταυτηὶ τῇ
δαδὶ φρυκτοὺς σκευάσω.

Unus e convivis v. 1332ss.[2]) pro ceteris loquitur

---

[1]) cf. Wilamowitz, SBBerl. 1911, p. 476.

[2]) Versus 1332—34, qui in codicibus Bdelycleonis sunt, G. Dindorf convivae tribuit corrigens „*ξυμπότης τις*".

ἦ μὴν σὺ δώσεις αὔριον τούτων δίκην
ἡμῖν ἅπασι, κτλ.

Tibicina, quam nudam fuisse v. 1374 apparet[1]),

v. 1341 ss. ἀνάβαινε δεῦρο χρυσομηλολόνθιον, κτλ.

et saepius appellatur.

Mulierem panes venditantem testis, cuius nomen v. 1408 comperimus, comitatur:

κλητῆρ' ἔχουσα Χαιρεφῶντα τουτονί.

Ille Chaerephon v. 1412 voce compellatur:

καὶ σὺ δή μοι, Χαιρεφῶν,
γυναικὶ κλητεύειν ἐοικώς, κτλ.

v. 1417 iterum testis inducitur, quem Bdelycleo cum cive accedere videt:

v. 1415 s. ὁδί τις ἕτερος, ὡς ἔοικεν, ἔρχεται
καλούμενός σε· τόν γέ τοι κλητῆρ' ἔχει.

Civis κατήγορος eum contestatur

v. 1434 ἀλλ' οὖν σὺ μέμνησ' αὐτὸς ἀπεκρίνατο·
v. 1436 ταῦτ' ἐγὼ μαρτύρομαι.[2])

Saltator v. 1500 in orchestram prodit, quem v. 1500 Bdelycleo indicat: εἷς γ' ἐκεινοσὶ μόνος; quem sequitur v. 1505 alter saltator, v. 1508 tertius accedit. Illi tres pusiones, quorum partes mutae personae obtinent, in orchestra saltant.

Pacem Dionysiis urbanis mense Elaphebolione Ol. 89, 3 sive mense Martio anni 421 datam esse ex didascalia conicitur. — Initio fabulae praeter servos colloquentes alii ministri non adsunt. Verbis v. 9 s., 13

v. 9 s. ἄνδρες κοπρολόγοι προσλάβεσθε πρὸς θεῶν
εἰ μή με βούλεσθ' ἀποπνιγέντα περιιδεῖν.
v. 13 ἑνὸς μὲν ὦνδρες ἀπολελύσθαι μοι δοκῶ,

quae ad spectatores[3]) pertinere Leeuwenius suspicatur, servus conservos quidem conclamat[4]); sed eos iam adesse vel mox accursuros esse opus non est[5]). — V. 114 filiolae Trygaei, quarum numerus incertus est, a servo v. 111 s. advocatae (ὦ παιδί', κτλ.) intrant. Quas a parachoregematis agi scholiastes[6]) credit adnotans ad v. 114: τὰ τοιαῦτα παραχορηγήματα καλοῦσιν, οἷα νῦν τὰ παιδία ποιεῖ καλοῦντα τὸν πατέρα. Sed una puella loquente unum parachoregema adhi-

---

[1]) cf. Wilamowitz, Aristoph. Lysistrate. p. 187 (ad v. 1114).

[2]) Ita clamat, qui iniuriae sibi allatae testes advocat: Ach. 926; Nub. 495, 1222, 1297; Pac. 1119; Av. 1031; Ran. 528.

[3]) v. 150 spectatores compellantur. cf. schol.: πρὸς τοὺς θεατὰς ὁ λόγος.

[4]) cf. schol. adnot. ad v. 9: τοὺς συνεργοὺς οὖν τῶν ὁμοδούλων εἰς ἐπικουρίαν καλεῖ.

[5]) cf. Vesp. 197; Eq. 255, 257; Pac. 79 (γείτονες).

[6]) cuius sententiam sequitur Leeuwenius (ed. p. 2) duas fuisse filias suspicans.

bemus, quod partibus maximae filiae fungitur[1]); partes ceterarum natu minorum mutae obtinent personae. V. 119ss. Trygaeus ad filias se convertit, quae v. 149 (*ἀλλὰ χαίρετε*) aedes intrant.

Quaestio nunc est solvenda, utrum v. 473 poeta Lamachum, qui *ἐμποδὼν καθῆσθαι* dicitur, in orchestra humi sedentem fingat an ille bellicosus dux revera adsit a muta persona repraesentatus. Prius probat Iulius Richter[2]), cum vox „*καθήμενος*" postulare videatur, ut ille inter spectatores sedens cogitandus sit. Sed verbum „*ἐμποδὼν καθῆσθαι*" non ad litteram est accipiendum[3]); voci potius illa vis est subiecta, quae inest in verbis Pherecratis[4]) in scholiis (ad v. 475) allatis

οὗτον γὰρ ἡμῖν οἱ κακῶς ἀπολούμενοι
ἐπαμφοτερίζουσ' ἐμποδὼν καθήμενοι.

Lamachus igitur non in primis sedibus theatri sedet, sed aliquis personam eius induit et ridicula persona muta in orchestra conspicitur.

Pacis effigies v. 520 in orchestram adportatur. Dea, quamquam quaedam submissa voce loqui fingitur et caput manusque movere (v. 663—705), tamen ingens deae simulacrum[5]) est, cum protrahatur funibus; Mercurii quoque imago in Nubibus (1483) interrogata respondere videtur[6]). Opora autem et Theoria, Pacis comites simul cum Dea ex antro emergentes, quae effigiem deae ex spelunca eductam quasi porrigunt atque constituunt, *κωφὰ πρόσωπα* sunt; Trygaeus illas, quas meretricum more ornatas esse scholiastes[7]) dicit, v. 523 alloquitur:

ὦ χαῖρ', Ὀπώρα, καὶ σὺ δ', ὦ Θεωρία.

Mercurius v. 705 Oporam ad Trygaeum, qui eam v. 709 exosculatur, adducit; Theoria v. 713 ad Trygaeum ducitur, quem v. 726 abeuntem meretrices comitantur:

v. 726 ss. *δεῦρ', ὦ κόραι,*
ἕπεσθον ἅμ' ἐμοὶ θᾶττον, ὡς πολλοὶ πάνυ
ποθοῦντες ὑμᾶς ἀναμένουσ' ἑστυκότες.

Parabasi chori finita v. 819 Trygaeus cum duabus mulierculis revertitur. Quamquam meretrices nominatim non appellantur, tamen dubium non est, quin Opora et Theoria, quae Trygaeo a Mercurio v. 705 et v. 713 traditae erant, agricolam e caelo redeun-

---

1) cf. Herwerden, ed. praef. p. 6.
2) ed. adnot. ad v. 473.
3) cf. Leeuwen, ed. adnot. ad v. 473.
4) Pherecr. fr. 19. (Kock I).
5) cf. schol. ad Plat. Apol. 19. C: *κωμῳδεῖται ὅτι καὶ τὸ τῆς Εἰρήνης κολοσσικὸν ἐξῆρεν ἄγαλμα. Εὔπολις Αὐτολύκῳ, Πλάτων Νίκαις.* — cf. Herwerden ed. praef. p. 6: „cara pupea lignea aut stramina signi instar picta et ornata". — cf. Leeuwen, ed. p. 2 adn. 4; adnot. ad v. 520.
6) cf. Verg. Aen. II. 172ss.; Georg. I. 480; Ar. Plut. 1191s.; Liv. XXII. 36, 7.
7) schol. adn. ad v. 523: *ὡς καὶ τούτων σὺν τῇ Εἰρήνῃ ἀνελθουσῶν· ὑποτίθεται δὲ αὐτὰς ὡς πόρνας.*

tem sequantur; easdem mulierculas in scaenam produci diverbio servi et domini v. 848ss.[1]) clarius indicatur. Trygaeus Oporam meretricem sibi tributam in aedes duci, ut *νυμφικὸν λουτρόν* paretur, v. 842 iubet[2]), quae mandata servus v. 842 exsequitur mulierculam introrsum abducens. Altera remanet, quam Trygaeus senatui se traditurum esse dicens (v. 846) spectatoribus offert[3]). Servus eam contrectat v. 875s., 879s. Theoria ipsa

v. 881 *δεῦρο σύ,*

et v. 886 *ἄγε δὴ σὺ κατάθου πρῶτα τὰ σκεύη χαμαί,*

voce compellatur. Quo iussu muliercula omnes vestes, ut nuda adstans[4]) spectatoribus pulchritudinem monstret, vel ornamenta scaenica[5]), ne ad spectatores abitura supellectilem scaenicam secum ferat[6]), deponit. Theoriam vestes deposuisse quandam similitudinem veri in se habet, cum meretricem nudatam esse v. 891 apertum sit[7]). Theoriam v. 905 ad spectatores se proripere[8]) ex Trygaei verbis v. 905s. concludimus.

Hieroclem vatem v. 1045 prodeuntem minister quem adstantem Leeuwenius[9]) censet, non comitatur; nullo enim loco servus mutus commemmoratur.

Falcium fabrum (*δρεπανουργόν*) v. 1197 muta persona sequitur, opifex quidam cados tenens, quem in scaena versari v. 1202 animadvertimus:

ὁδὶ δὲ τριδράχμους τοὺς κάδους εἰς τοὺς ἀγρούς.

quem ad versum scholiastes adnotat: *καδοποιὸς δὲ ἦν ὁ σὺν αὐτῷ.* — Trygaeus duos illos institores alloquitur:

v. 1207 s. *καταθέμενοι παρ' ἐμοὶ ταῦτ' εἴσιτε*
ἐπὶ δεῖπνον ὡς τάχιστα.

Postquam illi abierunt, v. 1210 armorum venditor, *ὅπλων κάπηλος*[10]), procedit. Omnia ab uno fabro dici res ipsa docet. Ille opifex v. 1211 cristam offert,

v. 1224 loricam *τί δαὶ δεκάμνῳ τῷδε θώρακος κύτει*
ἐνημμένῳ κάλλιστα χρήσομαι τάλας;

v. 1240 tubam *τί δ' ἆρα τῇ σάλπιγγι τῇδε χρήσομαι;*

Ex illis „*τί δ' ἆρα*" et „*τί δαί*" et ex v. 1209, cum Trygaeus unum accedentem indicet, manifestum est unam personam illos versus

---

1) cf. schol. adnot. ad v. 849: *πιθανῶς ἐδήλωσεν, ὅτι πόρναι ἦσαν ἡ 'Οπώρα καὶ ἡ Θεωρία.*

2) cf. schol. adnot. ad v. 842.

3) cf. schol. adnot. ad v. 882: *τοὺς θεατὰς ἢ τὸ βουλευτήριον.*

4) cf. Wilamowitz, Aristoph. Lysistrate. adnot. ad v. 1114.

5) cf. schol. ad v. 886. 6) cf. Fr. Blaydes, ed. adnot. ad v. 886.

7) *ὀπτάνιον* dictum est *πρὸς κακέμφατον.* — cf. schol. adnot. ad v. 891: *τὸ αἰδοῖον αὐτῆς δείκνυσι.*

8) cf. Nub. 1102. 9) ed. adnot. ad v. 1045, 1118, 1222.

10) In codice V legitur *ὁπλοποιός*; cf. autem v. 1209.

loqui[1]), qui in codicibus, ubi vulgo *λοφοποιός, θωρακοπώλης, σαλπιγγοποιός, κρανοποιός, δορυξός* legitur, aliis institoribus cum armorum venditore progredientibus tribuuntur. — Mutae personae sequuntur galearum et hastarum venditores, qui commemorantur

v. 1213 *καὶ τουτονί, καὶ τοῦ δορυξοῦ 'κεινουί.*

v. 1255 *οἴμ', ὦ κρανοποί', ὡς ἀθλίως πεπράγαμεν.*

v. 1260 *ἀπίωμεν ὦ δορυξέ.*

Post versum 1264 omnes fabri abeunt.

Quaestio oritur, utrum chorus ex Atheniensibus et ex peregrinis compositus sit an illi peregrini mutae fuerint personae. Trygaeus, ut Pax dea a Polemo daemone multis lapidibus ingesta liberetur, omnes advocat Graecos:

v. 292 ss. *νῦν ἐστιν ἡμῖν ὦνδρες Ἕλληνες καλὸν*
ἀπαλλαγεῖσι πραγμάτων τε καὶ μαχῶν
ἐξελκύσαι τὴν πᾶσιν Εἰρήνην φίλην.

v. 296 ss. *ἀλλ' ὦ γεωργοὶ κἄμποροι καὶ τέκτονες*
καὶ δημιουργοὶ καὶ μέτοικοι καὶ ξένοι
καὶ νησιῶται, δεῦρ' ἴτ' ὦ πάντες λεῴ,
ὡς τάχιστ' ἄμας λαβόντες καὶ μοχλοὺς καὶ σχοινία.
νῦν γὰρ ἡμῖν ἁρπάσαι πάρεστιν ἀγαθοῦ δαίμονος.

Chorus v. 301 ingrediens clamat:

v. 301 ss. *δεῦρο πᾶς χώρει προθύμως εὐθὺ τῆς σωτηρίας·*
ὦ Πανέλληνες βοηθήσωμεν, εἴπερ πώποτε,
τάξεων ἀπαλλαγέντες καὶ κακῶν φοινικικῶν.

Agricolae igitur, mercatores, fabri, opifices, peregrini, insulani nominantur. Ex illis Iulius Richter[2]) chorum, cui varia species atque habitus fuerit, in duas partes divisum fuisse concludit. Verisimile autem non est alterum hemichorium simulacro deae protracto orchestram relinquere et duodecim tantum choreutas remanentes usque ad finem fabulae agere et cantare. Sed afferam verba poetae. Nam chorum ex agricolis constitisse[3]) docent versus

584 ss. *σῷ γὰρ ἐδάμην πόθῳ, δαιμόνια βουλόμενος εἰς ἀγρὸν ἀνερπύσαι.*

. . . .

ἦσθα γὰρ μέγιστον ἡμῖν κέρδος ὦ ποθουμένη
πᾶσιν ὁπόσοι γεωργὸν βίον ἐτρίβομεν.

603 s. *ὦ σοφώτατοι γεωργοί, τἀμὰ δὴ ξυνίετε*
ῥήματ', εἰ βούλεσθ' ἀκοῦσαι τήνδ' ὅπως ἀπώλετο.

---

[1]) Quam distributionem habent Iulius Richter, H. v. Herwerden; cf. C. Beer, l. c. p. 42; Leeuwenius galearum fabrum et hastarum v. 1250 loquentem facit, tubarum quendam venditorem introducit mutam personam.

[2]) ed. adnot. ad v. 301.

[3]) cf. verba, quae in argumento sunt servata: *ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἔκ τινων ἀνδρῶν Ἀττικῶν γεωργῶν.*

Opifices igitur et peregrini[1]), qui v. 296 ss. commemorantur, in choreutarum numero non fuerunt, sed a mutis personis repraesentati sunt, ut opus Pacis liberandae suscipiant[2]). Ut primum maxima laboris pars peracta est, *κωφὰ πρόσωπα* amoventur, et chorus nullo negotio reliquum conficit[3]):

v. 500 *ἄνδρες Μεγαρῆς οὐκ ἐς κόρακας ἐρρήσετε.*
v. 503 s. *καὶ τοῖς Ἀθηναίοισι παύσασθαι λέγω*
ἐντεῦθεν ἐχομένοις ὅθεν νῦν ἕλκετε.
v. 508 *ἄγ' ὦνδρες αὐτοὶ δὴ μόνοι λαβώμεθ' οἱ γεωργοί.*
v. 511 s. *οἵ τοι γεωργοὶ τοὔργον ἐξέλκουσι κἄλλος οὐδείς.*

Numerus illarum personarum incertus est. Turbam earum nequaquam minorem fuisse quam choreutarum C. Robert[4]) censet; cum iis multitudo lapidum afferenda esset et ingens Pacis simulacrum funibus protrahendum, numerum haud exiguum fuisse pro certo dicam.

In fabula Avium, quam Dionysiis anni 414 scaenae commissam esse docet didascalia, Euelpiden et Pisthetaerum Athenienses duo ministri comitantur, qui v. 656 s. nomine vocantur[5]):

οὕτω μὲν εἰσίωμεν· ἄγε δή, Ξανθία
καὶ Μανόδωρε, λαμβάνετε τὰ στρώματα.

Iam antea servi commemorati sunt

v. 463 s. *φέρε παῖ στέφανον· καταχεῖσθαι*
κατὰ χειρὸς ὕδωρ φερέτω ταχύ τις.

Quae mandata peragi v. 464 videmus, cum sodalis quaerit: *δειπνήσειν μέλλομεν; ἤ τί;* suspicans cenam parari, cuius initio convivis coronae et malluvium praebebantur. Epopem

v. 435 ss. *ἄγε δὴ σὺ καὶ σὺ τὴν πανοπλίαν μὲν πάλιν*
ταύτην λαβόντε κρεμάσατον τὐχἀγαθῇ
ἐς τὸν ἰπνὸν εἴσω, πλησίον τοὐπιστάτου.

ministros, quos secum ducit, allocutum esse sagaciter observavit C. Robert[6]). Servos Atheniensium his mandatis onerari scholiastes suspicatur adnotans: *πρὸς τοὺς θεράποντας ὡς ἐν τοῖς ἑξῆς· ἄγε δὴ Ξανθία καὶ Μανόδωρε.* Sed Manodoro et Xanthiae haec mandata dari non possunt, cum illi famuli non epopi sed dominis obsequantur; v. 448 ss. demum Pisthetaeri iussu „arma" deponunt. Illos versus 448 ss.

---

[1]) Ex eorum gentibus nominantur: Boeoti (v. 466), Argivi (v. 475), Lacedaemonii (v. 478), Megarenses (v. 481).

[2]) Illos institores mutas, non commenticias fuisse personas Guil. Westphal (quaest. scaen. p. 54 s.) dicit, cum eis maiora peragenda sint (v. 464 ss.) quam quae sola cogitatione a spectatoribus fingi possint.

[3]) cf. Robert, Hermes XXXI (1896), p. 551 ss.

[4]) Hermes XXXI (1896), p. 553.

[5]) cf. schol. adnot. ad v. 656: *ὀνόματα τῶν οἰκετῶν μετὰ τῶν πρὸς ὄρνιθας ἀφικομένων.*

[6]) Hermes XXXIII (1898), p. 571.

ἀκούετε λεῴ· τοὺς ὁπλίτας νυνμενὶ
ἀνελομένους θὤπλ' ἀπιέναι πάλιν οἴκαδε,
σκοπεῖν δ' ὅτι ἂν προγράφωμεν ἐν τοῖς πινακίοις.

quos codices Pisthetaero tribuunt, Kockius epopi dedit, cum iam ablata sint Atheniensium arma. Sed ut iam supra dixi Epops v. 434 ss. ad suos se converterat; chorus autem v. 448 ss. compellari non potest, quia mandatum „*ἀπιέναι πάλιν οἴκαδε*" non exsequitur[1]). Pisthetaerus igitur v. 448—450 ministros alloquitur.

Euelpiden et Pisthetaerum iterum introeuntes (v. 801) servi sectantur, qui v. 850 appellantur:

παῖ παῖ, τὸ κανοῦν αἴρεσθε καὶ τὴν χέρνιβα.

Ille minister, qui his verbis mittitur, ut canistrum et aquam afferat, v. 863 commemoratur

ἀλλὰ ποῦ 'στιν ὁ τὸ κανοῦν ἔχων;

v. 933 Pisthetaerus aliquem e servis alloquitur tunica et pelle indutum, qui domini iussu alterum vestimentum, *τὴν σπολάδα*, exuens poetae praebet (v. 935); v. 947 et tunicam poetae dat. Saepius servis iussa dantur: v. 958, 1055, 1286 s., 1309 ss., 1317, 1323, 1335 s., 1409, 1579, 1582, 1589[2]), 1637, 1639[3]).

Praeter illos ministros aliquot tibicines in scaenam inducuntur mutae personae. Quae quamquam non omnino tacent, sed tibicinum munere funguntur, tamen *κωφὰ πρόσωπα* sunt, cum verba non faciant. Procne luscinia v. 209 ab Epope invocatur. Ad v. 222, ad quem adscriptum est „*αὐλεῖ*", in scholiis adnotata sunt: *τοῦτο παρεπιγέγραπται, δηλοῦν ὅτι μιμεῖταί τις τὴν ἀηδόνα ὡς ἔτι ἔνδον οὖσαν ἐν τῇ λόχμῃ*. In dumeto igitur versata luscinia non cernitur. — Quattuor aves v. 267—293 prodeunt singulae. Quae sunt non chori pars; nam v. 297 ss. viginti quattuor aves, e quibus chorus compositus est, enumerantur. Illaene quattuor a mutis personis repraesentatae, quae tibicinum munere funguntur, statim abeant an remaneant usque ad extremam fabulam, ex verbis comici cognosci non potest, cum actores nusquam de iis loquantur. Sed paulo post eas orchestram relinquere Robertus[4]) censet, cum unam ex illis alitibus personam Procnes v. 665 ineuntis suscepisse verisimile sit. — V. 267 *Φοινικόπτερος*[5]) procedit, cui cod. R versum 267 attribuit. Sed scholiasten sequor ratum epopis esse illa „*τοροτὶξ τοροτίξ*". Pisthetaerus avem introeuntem videt:

ὦγάθ' ἀλλ' ⟨εἷς⟩ οὑτοσὶ καὶ δή τις ὄρνις ἔρχεται.

---

[1]) cf. Robert, Hermes XXXIII (1898), p. 571 ss.

[2]) Quem versum codices *οἰκέτῃ*, qui in codd. inter colloquentes personas recensetur, tribuunt, editio Aldina Pisthetaero dedit.

[3]) cf. schol. adnot. ad v. 1310, 1317, 1323, 1335.

[4]) Hermes XXXIII (1898), p. 507.

[5]) Nominatim appellatur illa avis v. 273.

alia avis v. 274 prodit

v. 274 *ἕτερος ὄρνις οὑτοσί.*

v. 277 *ὄνομα τούτῳ Μῆδός ἐστι.*

Medum sequitur Epops alter:

v. 279 *ἕτερος αὖ λόφον κατειληφώς τις ὄρνις οὑτοσί.*

v. 281 s.[1] *οὑτοσὶ μέν ἐστι Φιλοκλέους*
ἐξ ἔποπος, ἐγὼ δὲ τούτου πάππος.

v. 287 quarta avis progreditur
ἕτερος αὖ τις βαπτὸς ὄρνις οὑτοσί.

v. 665 s. Epops Procnen lusciniam in orchestram advocat
ἡ Πρόκνη,
ἔκβαινε καὶ σαυτὴν ἐπιδείκνυ τοῖς ξένοις.

Omnibus abeuntibus v. 675 Procne remanet tibiaque canit; chorus v. 676[2]) ad eam se convertit:

v. 676 ss. *ὦ φίλη, ὦ ξουθή,*
ὦ φίλτατον ὀρνέων
πάντων, κτλ.

Quando luscinia, quae parabasi chori finita neque ab histrionibus neque a choro memoratur, orchestram relinquat, non animadvertimus. V. 858 Chaeris tibicen[3]) advocatur: *συνᾳδέτω δὲ Χαῖρις ᾠδάν*, qui tibia canens procedit; Pisthetaerus eum v. 859[4]) compellat: *παῦσαι σὺ φυσῶν.* Cui non humanam fuisse speciem[5]) v. 860 s. intellegimus

τουτὶ μὰ Δί' ἐγὼ πολλὰ δὴ καὶ δείν' ἰδὼν
οὔπω κόρακ' εἶδον ἐμπεφορβειωμένον.

Illum tibicinem ab eadem muta persona, quae antea partem Procnes (v. 665 ss.) vel unius ex alitibus (v. 267 ss.) obtinuerat, datum esse verisimile est. Pisthetaerum v. 1720 *Βασίλεια*[6]) comitatur; quam Pisthetaeri sponsam a choro salutatam

v. 1728 ss. *ἀλλ' ὑμεναίοις*
καὶ νυμφιδίοισι δέχεσθ' ᾠδαῖς
αὐτὸν καὶ τὴν Βασίλειαν,

Pisthetaerus v. 1759 s. alloquitur[7]):
ὄρεξον ὦ μάκαιρα σὴν χεῖρα, κτλ.

Multae mulieres a mutis personis datae in Lysistrates fabula, quae Lenaeis anni 421 acta est, prodeunt; v. 69 cum Myrrhina

---

[1]) cf. schol. adnot. ad v. 281: *τοῦτο δέ φησιν ἐπεὶ ἕτερός τις ὄρνις ἀναφαίνεται λόφον ἔχων ὡς ὁ ἔποψ.*

[2]) cf. schol. adn. ad v. 676: *ὡς πρὸς τὴν ἀηδόνα δὲ δοκεῖ λέγειν.*

[3]) cf. schol. adn. ad v. 858; cf. Ach. 16.

[4]) cf. schol. adn. ad v. 859: *ἔξεισιν ἱερέα καὶ αὐλητὴν ἔχων.*

[5]) cf. schol. adn. ad. v. 861: *ἔοικε δὲ ὁ αὐλητὴς διεσκευάσθαι εἰς κόρακα.*

[6]) De iis, quae cognomine *Βασίλεια* significari solent, cf. O. Kern, RE. III. 1, p. 43 ss.; A. Klinz, *Ἱερὸς Γάμος.* Diss. Hal. 1933, p. 26.

[7]) cf. schol. adnot. ad v. 1759: *πρὸς τὴν Βασίλειάν φησι ὁ Πεισθέταιρος.*

aliae mulieres Athenienses in orchestram intrant, quas appropinquantes Calonice v. 65 ss. videt:

ἀτὰρ αἵδε καὶ δή σοι προσέρχονταί τινες
αἱδί θ' ἕτεραι χωροῦσί τινες. ἰοὺ ἰού, [1])
πόθεν εἰσίν;

pro illis mutis Myrrhine loquitur:

v. 69 *μῶν ὕστεραι πάρεσμεν;*

v. 78 Lampitonem sequuntur duae mulieres Boeotia [2]) et Corinthia, quae commemorantur:

v. 85 ss. *ἡδὶ δὲ ποδαπὴ 'σθ' ἡ νεᾶνις ἡτέρα;*
πρέσβειρά τοι, ναὶ τὼ σιώ, Βοιωτία
ἵκει ποθ' ὑμέ.

v. 90 ss. *τίς δ' ἡτέρα παῖς; χαία, ναὶ τὼ σιώ,*
Κορινθία δ' αὖ.

In mulierum contione femina scutata (v. 185), quae publico officio perfungitur, versatur; hanc ancillam Scythaenam Lysistrate verbis incitat:

v. 184 s. *ποῦ 'σθ' ἡ Σκύθαινα; ποῖ βλέπεις;*
θὲς εἰς τὸ πρόσθεν ὑπτίαν τὴν ἀσπίδα.

Quem ad versum in scholiis adnotatur: *τὴν ὑπηρέτιν λέγει. Σκύθας γὰρ καὶ τοξότας ἐκάλουν τοὺς δημοσίους ὑπηρέτας ἀπὸ τῆς ἀρχαίας χρήσεως.* Una ex feminis v. 199 urceum et poculum afferre iubetur:

φερέτω κύλικά τις ἔνδοθεν καὶ σταμνίον.

Omnes mulieres v. 253 discedunt. Parabasi finita probulus ingreditur cum satellitibus mutis, quos adesse v. 424 ss. apparet:

v. 424 *φέρε τοὺς μοχλούς.*

v. 426 ss.[3]) *τί κέχηνας, ὦ δύστηνε; ποῖ δ' αὖ σὺ βλέπεις; κτλ.*

Illi probuli comites, qui saepius compellantur: v. 434, 438, 441 s., 443 s., 445, 447 s., fugiunt v. 449: *ἐπιλέλοιπεν ὁ στρατός,* ut probulus v. 451 s. Scythas advocare cogatur:

ὁμόσε χωρῶμεν αὐταῖς, ὦ Σκύθαι,
ξυνταξάμενοι.

v. 455 *ἀποστρέφετε τὰς χεῖρας αὐτῶν, ὦ Σκύθαι.*

Cum illi procedant, Lysistrate mulieres vocat:

ὦ ξύμμαχοι γυναῖκες, ἐκθεῖτ' ἔνδοθεν,
κτλ.,

quae ex arce proruentes sagittarios fugant et Scythis profligatis iterum abeunt:

v. 461 *παύσασθ', ἐπαναχωρεῖτε, μὴ σκυλεύετε.*

---

[1]) *αἵδ' αὖθ' ἕτεραι* cod. R.

[2]) Nomen Boeotiae e versu 697 comperimus.

[3]) cf. schol. adnot. ad v. 426: *πρός τινα τῶν δημοσίων ὑπηρετῶν.*

Cum Cinesia v. 845 famulus mutus prodit infantulum[1]) Cinesiae gestans; Cinesias ministrum dimittens nominatim appellat:

v. 908 *μὰ Δί' ἀλλὰ τοῦτό γ' οἴκαδ', ὦ Μανῆ, φέρε.*

Aliquot legati Lacedaemonii v. 1074 progrediuntur; unus ex iis, qui loquitur, ab histrione agitur, ceteri *κωφὰ πρόσωπα* sunt. Chorus legatos appropinquantes indicat:

v. 1072 s. *καὶ μὴν ἀπὸ τῆς Σπάρτης οἱδὶ πρέσβεις ἕλκοντες ὑπήνας χωροῦσ',*

et v. 1074 s. alloquitur. V. 1082 sequuntur legati Athenienses, quos accedere iterum chorus videt:

καὶ μὴν ὁρῶ καὶ τούσδε τοὺς αὐτόχθονας
ὥσπερ παλαιστὰς ἄνδρας ἀπὸ τῶν γαστέρων
θαἰμάτι' ἀποστέλλοντας.

omnes legati v. 1188 orchestram relinquunt:

v. 1187 *ἀλλ' ἴωμεν ὡς τάχος.*

Lysistrate v. 1114 Diallagen mutam adducit:

v. 1115 ss. *πρόσαγε λαβοῦσα πρῶτα τοὺς Λακωνικούς, κτλ.,*

Atheniensis et Lacedaemonius eam laudibus extollentes admirantur v. 1148, 1156, 1157. Quam nudam fuisse manifestum est v. 1158, cum legatus Atheniensium *κύσθον* conspiciat[2]). Quando Diallage abeat, incertum est; eam cum legatis, cum post v. 1188 non commemoretur, abisse suspicor.

Dum Athenienses et Lacedaemonii v. 1216 ss. a cena redeunt, v. 1216, quem versum Wilamowitzius prytani, Leeuwenius legato Atheniensium tribuit, servus vel serva vocatur:

ἄνοιγε τὴν θύραν· παραχωρεῖν οὐ θέλεις;

Recte scholiastes adnotat: *δεῖ δὲ νοεῖν ὅτι πρὸς τὴν θυρωρὸν λέγει.* Qui confluunt servi minis fugati

v. 1217 s. *ὑμεῖς τί κάθησθε; μῶν ἐγὼ τῇ λαμπάδι ὑμᾶς κατακαύσω,*

redire videntur, ut iterum ab ianua abigantur:

v. 1239 s. *ἀλλ' οὑτοὶ γὰρ αὖθις ἔρχονται πάλιν εἰς ταὐτόν. οὐκ ἐρρήσετ' ὦ μαστιγίαι;*

Praeter duos colloquentes ceteri legati Athenienses et Lacedaemonii cum mulieribus procedunt

v. 1274 s. *ἀπάγεσθε ταύτας, ὦ Λάκωνες, τάσδε τε ὑμεῖς· κτλ.*

v. 1242 tibicen adest, quem Lacedaemonius alloquitur

ὦ Πολυχαρείδα λαβὲ τὰ φυσατήρια.

---

[1]) Puerulum v. 879 clamores edentem pupa repraesentatum esse verisimile est; vocem eius actor vel choreutes imitatus est.

[1]) cf. Wilamowitz. Aristoph. Lys. adnot. ad v. 1114.

Laeta pompa abeunt omnes actores, chorus, mutae personae, quarum numerum in extrema parte fabulae haud exiguum fuisse vidimus.

In Thesmophoriazusis, quae Dionysiis eiusdem anni, quo Lysistrate in scaenam est delata, datae sunt[1]), singulae inveniuntur mutae personae. — Mnesilochus v. 279 senilem vocem ad muliebris soni levitatem inflectens[2]) cum Threissa serva, quae muta persona eum comitatur, colloquitur. Mnesilochum cum ancilla, quae nulla adsit, se colloqui fingere Leeuwenius censet[3]). Cum autem serva nominatim compelletur (v. 280, 284, 293), revera personam adesse et a spectatoribus conspici mihi persuasum est. Miccam[4]), Cleonymi uxorem (v. 605), nutrix filiolam[5]) gestans in contionem mulierum sequitur:

v. 608 s. *ἡδὶ δὲ δὴ τίς ἐστιν ἡ τὸ παιδίον*
ἔχουσα; — τίτθη νὴ Δί' ἐμή.

Quae ancilla saepius nomine vocatur: v. 728, 739, 754. Prytanem v. 929 introeuntem sagittarius sequitur muta persona; illos enim accedentes mulier videt:

v. 923 *προσέρχεται γὰρ ὁ πρύτανις χὠ τοξότης.*

prytanis sagittarium v. 930 alloquitur, qui v. 946 domini iussu Mnesilochum abducit; partes illius sagittarii iterum intrantis (v. 1001) histrio agit. — V. 1160 cum Euripide prodeunt duae mutae personae: Elaphium saltatrix et Teredo tibicen. Elaphium v. 1172 ss. et Teredo v. 1175 nominantur:

v. 1172 ss. *καὶ σὸν ὠλάφιον ἅ σοι*
καθ' ὁδὸν ἔφραζον, ταῦτα μεμνῆσθαι ποιεῖν.

v. 1175 *σὺ δ', ὦ Τερηδών, ἐπαναφύσα Περσικόν.*

Saltatrix veste deposita v. 1181 nuda saltat:

v. 1181[6]) *φέρε θοἰμάτιον ἄνωθεν ὦ τέκνον τοδί.*

v. 1189 veste iterum amicitur. Postquam Elaphium abiit cum sagittario, Teredo e scaena mittitur:

v. 1203 *σὺ μὲν οὖν ἀπότρεχε παιδάριον τουτὶ λαβών.*

Sagittarius, ubi cum puella rediit, eam v. 1214 dimittit:

ἀπότρεχ' ὡς τάχιστα σύ.

Fabula Ranarum, quae — ut ex didascalia discimus — Lenaeis anni 405 acta est, tantum placuit Atheniensibus, ut iterum doceretur sive paucis diebus post primam commissionem[7]) sive tertio mense post, proximis Dionysiis magnis[8]).

---

1) cf. Wilamowitz, Aristoteles u. Athen II p. 343; Lysistrate p. 52.
2) cf. schol. adnot. ad v. 279.
3) ed. adnot. ad v. 279.
4) Mulier illa v. 766 nominatim appellatur.
5) Puellam revera utrem fuisse vino repletum v. 733 ss. conspicuum est.
6) cf. Pac. 886. 7) Leeuwen, ed. p. VII s.
8) Zielinski, Altatt. Kom. p. 150.

Mutas personas poeta v. 170 inducit. Cives aliquot mortuum efferentes ingrediuntur, quos ille defunctus vocat: v. 174[1]) *ὑπάγεϑ' ὑμεῖς τῆς ὁδοῦ.* — Dionysum v. 297 *ἱερεῦ, διαφύλαξόν μ', ἵν' ὦ σοι ξυμπότης* non ad mutam personam in orchestra adstantem, sed ad sacerdotem, cui sedes erat in theatri loco maxime conspicuo, se convertere ex verbis poetae concludi potest Eq. 535 s.

ὃν χρῆν —

— ϑεᾶσϑαι λιπαρὸν παρὰ τῷ Διονύσῳ.

Recte in scholiis haec sunt adnotata: *παρὰ ταῖς ϑέαις προεδρίᾳ ἐτετίμητο ὁ ἱερεὺς τοῦ Διονύσου.* Sed alii scholiastae aliter iudicant; nonnulli[2]) enim censent sacerdotem in orchestra versatum choro mystarum interfuisse. Librarium aliquem, qui hoc versu adductus sacerdotem in scaena adesse opinabatur, *ἱερεῖ*, ne in scaena adstet nihil proloquens, versus 298a et 300a attribuisse Fr. Blaydes[3]) perspexit; errore igitur aperto sacerdoti, quem cod. V in personarum indice commemorat, illi versus dantur.

Quaestio quae oritur solvenda est, utrum chorus mystarum e viris et mulieribus compositus sit an mulieres, quarum partes mutae personae agant, chorum e viris constantem comitentur. Hercules iam

v. 156 s. *καὶ μυρρινῶνας καὶ ϑιάσους εὐδαίμονας*
ἀνδρῶν γυναικῶν

indicaverat Dionysum viros mulieresque conspecturum esse. Mulieres puellasque progressas esse apparet

v. 411 ss. *καὶ γὰρ παραβλέψας τι μειρακίσκης*
νῦν δὴ κατεῖδον, κτλ.

Quas feminas in coetu Dionysiaco versatas inter mutas fuisse personas neque cecinisse v. 447 s.[4]) apertum est, cum chori dux cum puellis et mulieribus orchestram relinquat:

ἐγὼ δὲ σὺν ταῖσιν κόραις εἶμι καὶ γυναιξίν,
οὗ παννυχίζουσιν ϑεᾷ, φέγγος ἱερὸν οἴσων.

Nam post versum 446 usque ad finem fabulae dimidiam chori partem in orchestra adesse veri similitudinem quandam in se non habet.

Duae cauponae, quarum altera, Plathane, nominatim appellatur, v. 549 introeunt; utramque ancilla muta comitatur. Quae *κωφὰ πρόσωπα* a cauponis compellantur:

v. 569 *ἴϑι δὴ κάλεσον τὸν προστάτην Κλέωνά μοι.*
v. 570 *σὺ δ' ἔμοι γ' ἐάνπερ ἐπιτύχῃς Ὑπέρβολον.*

---

[1]) cf. schol. adnot. ad v. 174: *ὁ νεκρός φησι πρὸς τοὺς νεκροφόρους.*

[2]) schol. ad v. 297: *ἤδη γὰρ ἦν τῶν μεμυημένων κατὰ τὴν σκηνὴν γενόμενος.*

[3]) ed. adnot. ad v. 297 (p. 254).

[4]) Zielinski (Altatt. Kom. p. 145 ss.) has mulieres, quibus v. 324—336 et v. 340—353 attribuit, chori partem fuisse credit.

Leeuwenius autem sententiam scholiastae secutus, qui ad v. 549 adnotat: *πανδοκεύτρια πρὸς Πλαθάνην θεράπαιναν ἑαυτῆς λέγει*, arbitratus est Plathanen ancillam fuisse cauponae et verbis v. 509 ancillam vocari, v. 570 cauponam; sed cum dominam a serva mandatis onerari verisimile non sit, duas cauponas, quae sunt inter colloquentes, duae ancillae comitantur a mutis personis repraesentatae.

Aeacum ianitorem complures ministri muti sequuntur. Primum duos famulos, ut Xanthiam comprehendant, advocari ex duali conicere licet

v. 605 s. *ξυνδεῖτε ταχέως τουτονὶ τὸν κυνοκλόπον*
ἵνα δῷ δίκην· ἀνύετον.

Xanthias eos prohibere conatur

v. 607 *οὐκ ἐς κόρακας; μὴ πρόσιτον.*

v. 608 plures servi accurrunt nomine appellati:

ὁ Διτύλας χὠ Σκεβλύας χὠ Παρδόκας
χωρεῖτε δευρὶ καὶ λάβεσθε τουτῳί.

Dum Aeschylus et Sophocles Baccho iudice de primatu certant, ministri aliquot adsunt:

v. 847 *ἄρν' ἄρνα μέλανα, παῖδες, ἐξενέγκατε.*
v. 871 *ἴθι νυν λιβανωτὸν δεῦρό τις καὶ πῦρ δότω.*

Aeschylus, quia Euripidis carmina non digna esse quae ad lyram canantur dicit, mulierem, quae testas manibus quassat, advocat, ut eam carmina decinere iubeat. Illam crotalistriam non commenticiam fuisse personam, sed revera processisse ex v. 1305 ss. apparet:

ποῦ 'στιν ἡ τοῖς ὀστράκοις
αὕτη κροτοῦσα; δεῦρο Μοῦσ' Εὐριπίδου, κτλ.

Cum notitia didascalica desit in argumento Ecclesiazusarum, viri docti, quo anno fabula data sit, dissentiunt; comoediam anno 391 scaenae commissam esse Ud. de Wilamowitz[1]) putat, anno 392 I. G. Droysen[2]) et I. v. Leeuwen[3]).

Complures mulieres, ex quibus tres inter loquentes fuisse Wilamowitzius[4]), duas Leeuwenius[5]) opinatur, in orchestram ineunt. Mulierem primam nonnullae mutae comitantur, quas adesse v. 32 intellegimus (*ὑμᾶς*); v. 41 iterum feminas aliquot appropinquare v. 41 indicatur:

---

[1]) SBBerl. 1911, p. 460ss., 465.
[2]) Droysen, Übersetzung², II. 345ss.
[3]) Leeuwen, ed. praef. p. XVIII.
[4]) Wilamowitz, Lysistrate (Beilage) p. 208.
[5]) Quem sequitur C. Robert, Hermes LVII (1922), p. 334.

καὶ μὴν ὁρῶ καὶ Κλειναρέτην καὶ Σωστράτην
προσιοῦσαν ἤδη τήνδε, καὶ Φιλαινέτην· [1])
οὔκουν ἐπείξεσθ';

singulae accedunt

v. 46 s. *τὴν Σμικυνθίωνος δ' οὐχ ὁρᾷς Μελιστίχην*
σπεύδουσαν ἐν ταῖς ἐμβάσιν;

v. 49 s. *τὴν τοῦ καπήλου δ' οὐχ ὁρᾷς Γευσιστράτην,*
ἔχουσαν ἐν τῇ δεξιᾷ τὴν λαμπάδα;

complures mulieres progredientes Praxagora videt

v. 51 ss. *καὶ τὴν Φιλοδωρήτου γε καὶ Χαιρητάδου*
ὁρῶ προσιούσας χἀτέρας πολλὰς πάνυ
γυναῖκας.

Pro mulieribus v. 72 interrogatis

ὑμεῖς δὲ τί φατε;

una respondet, cum ceterae a mutis personis actae taceant: *φασί· κατανεύουσι γάρ.*

Omnes mutae mulieres v. 285 agmine concluso per orchestram abeunt chorumque constituunt. Illis feminis, a quibus histriones secernuntur, mulieres loquentes praecedunt (v. 279 s.). Praeter has mutas personas v. 730 duo muti servi introeunt supellectilem efferentes

v. 833 *φέρε σὺ τἀνάφορον ὁ παῖς·*

nomina eorum v. 867 s. comperimus

σὺ δ' ὦ Σίκων
καὶ Παρμένων αἴρεσθε τὴν παμπησίαν.

Duas fabulas Pluti nomine Aristophanes in certamen commisit, quarum altera anno 408 [2]), altera anno 388 [3]) docta est; posterior fabula, quam possidemus, diversa est a priore vel recensio sive altera editio prioris fabulae ad nos pervenit [4]). Qua in fabula, quae iam ad mediam quam dicunt comoediam pertinet, paucae inducuntur mutae personae. Virum iustum v. 823 servulus mutus comitatur pallium (v. 842) et soleas (v. 847) portans. Dominus eius eum alloquitur

v. 823 s. *ἕπου μετ' ἐμοῦ παιδάριον, ἵνα πρὸς τὸν θεὸν*
ἴωμεν.

Sycophantes v. 850 testem adducit, ut Carionem ad iudices citare possit [5]). Ille testis v. 891, 932 memoratus v. 933 aufugit: *ἀλλ'*

---

[1]) v. 42: *προσιοῦσαν* ed. Oxon. secundum editionem Aldinam. *παροῦσαν* codd. *παριοῦσαν* editores.

[2]) cf. schol. ad v. 173. [3]) cf. argumentum IV (III Leeuwen).

[4]) cf. Wilamowitz, Griech. Verskunst p. 396, 2; I. Geffcken, Literaturgesch. I p. 256. — Leeuwenius (ed. praef. p. V—X) duplicem huius fabulae editionem negat.

[5]) cf. schol. adnot. ad v. 891: *κλήτορα γὰρ ἤγετο, ἵνα αὐτοὺς εἰς δίκην καλέσῃ.*

οἴχεται φεύγων ὃν ἦγες μάρτυρα. Vetulam cum serva, quae placentam (v. 985) teneat, v. 959 intrare Leeuwenius arbitratur; sed placenta a vetula ipsa fertur, cum ancilla nusquam commemoretur. Famulos v. 1194, 1196 vocatos ex aedibus in orchestram accurrere opus non est, quoniam iussa peragi non animadvertimus.

Quoniam de mutis personis, quas Aristophanes in scaenam introducit, satis dictum est[1]), animum intendamus in Menandri comoedias, quo ad cognoscendum omnia, quae ad mutas personas in theatro Graecorum introeuntes pertinet, in aperto sint. Res postulare videtur, ut plura de Disceptantibus et de Circumtonsa scribam, cum maiora fragmenta servata sint; cetera quam paucissimis absolvam.

Menander.

In Disceptantibus, qua ex fabula tenemus versus 773 et novem fragmenta minora a scriptoribus citata, nonnullas mutas personas a poeta in scaenam induci intellegere possumus. — Initio fabulae Carionem coquum aliquot ministri a mutis personis repraesentati, quos supellectilem portare Wilamowitzius[2]) suspicatur, sequuntur. Quamquam illi famuli in fragmentis 1—6[3]) non commemorantur, tamen coquum a servis deduci v. 414 videmus, cum coquus iterum progressus ad comites quosdam se convertat: „*ἀπίωμ[εν*“. Dum Syriscus, Davus, Smicrines inter se colloquuntur (cod. Cair. v. 1 ss.), uxor Syrisci puerulum manibus tenens[4]) muta adstat. Quam maritus eius alloquitur:

v. 85 s. *τὸ παιδίον*
δός μοι, γύναι.
v. 159 s. *σὺ δὲ ταυτί, γύναι,*
λαβοῦσα πρὸς τὸν τρόφιμον ἔνθαδ' εἰσφέρε.

Mulier v. 164 interrogata *ἔχεις κοιτίδα τινά;* cum non respondere possit, abnuit; Smicrines enim loquens pergit: *βάλλ' εἰς τὸ προκόλπιον.*

In Circumtonsa, quae fabula non multo post annum 314 acta est, servos et servas comicus inducit mutas personas. — Doris ante aedes Polemonis stans famulos ut ianuam aperiant advocat:

v. 68 s. *παῖδες, εὐφρανθήσεται*
κλάουσαν αὐτὴν πυθόμενος νῦν.
v. 70 *παιδίον, κέλευέ μοι.*

---

[1]) Aristophanis, Eupolidis, Cratini fragmenta praeteream, quia parvis fragmentis servatis mutas personas non inveni.

[2]) Menander Schiedsgericht, p. 48.

[3]) Kock fr. 600, 849, 850, 185, 178, 175.

[4]) v. 52, v. 85 ss.; infantem a pupa repraesentari opinor.

Num servi illis verbis vocati revera intraverint, cognoscere non possumus, cum post versum 70 desint versus fere 70. — Ancillae Myrrhines v. 71 adesse videntur, quibuscum Myrrhinen, ut Glyceram in aedes suas traducat, processisse Iensenius[1]) censet. Davus, quem cum conservis adstare v. 71 (*παῖδες*) apparet, eas compellat v. 73: *πρὸς ὑμᾶς*. Quas mulieres, cum Davus chorum procedentem conspiciat (71), abire verisimile est[2]). Sosiam v. 164ss. milites sequuntur ex aedibus Polemonis adducti. Unum ex illis satellitibus, qui eum comitantur, advocans contestatur; qui quidem iam abiit:

v. 194 s.[3]) *πάρ]ελθ' ἄν[θρω]π'· [Ὑλ]αρίων. οἴχετ[αι.*
ἐκεῖν]ος [ἔτυχε] μάρτυ[ς ὢν] λέγει τ' ἔχειν.

Omnes comites dicit v. 202

οἱ παῖδες οἱ τὰ πελτί' εὐθὺ[ς] πρὶν πτύσαι
διαρπάσονται πάντα.

Davum vel Myrrhines ostiarium, quem loquentem inducit S. Sudhaus[4]), non sine comitibus conspici ex v. 196ss. effici cogique potest:

v. 196 ss.[5]) *ὄψομ]αί τινας*
ὑμῶν [θεράπον]τας· πρὸς τίν' οἴεσθ', εἰπέ μοι,
παίζειν.

Illi Sosiae milites etiam v. 217ss. adsunt. Quos Pataecus dicit v. 226s.

εἴσω τουτονὶ
πρῶτον ἀπόπεμψον τούς τε παῖδας οὓς ἄγει.

Pataecum cum ministris procedere v. 328 videmus

καλεσάτω τὴν Δωρίδα
ἔξω τι]ς.

Famulum hoc mandatum exsecutum esse v. 331, cum Doris advocata prodeat, manifestum est.

Praeter illos servos hac in fabula meretrix quaedam muta persona est; cum Polemone (v. 217ss.) Habrotonum intrat, quae nominatim compellatur

v. 226 *Ἁβρότονον, ἐπισήμηνον.*
v. 232 ss. *καὶ γάρ, Ἁβρότονον,*
ἔ]χεις τι πρὸς πολιορκίαν σὺ χρήσιμον
δύνασαί τ' ἀναβαίνειν, κτλ.

---

[1]) Menandri reliquiae in papyris et membranis servatae, ed. Chr. Iensen, Berol. 1929, praef. p. XXXIV.

[2]) cf. Aug. Frickenhaus, Die altgriech. Bühne, Straßburg 1917, p. 66.

[3]) suppl. S. Sudhaus, Menanderstudien, Bonn 1914, p. 86.

[4]) l. c. p. 84.

[5]) *ὄψομαι* suppl. Iensen. *θεράποντας* suppl. Sudhaus.

Quam mulierculam non prolocutam esse et inter mutas fuisse personas[1]) pro certo dicam; nam v. 231

πρὸς τῶν θεῶν, ἄνθρωπ', ἄπελθ',

Sosias appellatur[2]), qui respondet: ἀπέρχομαι.

In Samia coquum cum Parmenone a foro redeuntem servus sequitur. Demeas eos accedentes videt:

v. 65 ss. π[αρ]όνθ' ὁρῶ
τὸν Παρμένοντ' [ἐ]κ τῆς [ἀγορᾶς· ἐα]τέον
αὐτὸν παραγαγεῖν ἐστι τού[τους ἐκποδών.[3])

Polemo eos in aedes mittit:

v. 80 ἀλλὰ παράγετ' εἴσω.

Coquum non complures famuli comitantur, ut forte ex v. 65ss. et v. 80 efficias, sed unus tantum servus mutus cum coquo in scaena adest, qui v. 145 et v. 147 vocatur:

v. 145 Ἡράκλεις, τί τοῦτο, παῖ;
v. 147 τί δέ μοι τοῦτο παῖ;

Demeas cum servis, quos Parmenonem pulsare iubet, adstat:

v. 106 s. ἱμάντα, παῖδέ[ς], τις δότω
ἐπὶ τουτονί μοι τὸν ἀσεβῆ.

Quod peragi v. 111s. apparet. — Chrysidem v. 154 progredientem ancilla vetula iam v. 87 commemorata sequitur, quam Demeas v. 157s. dicit:

v. 157 s. ἀλλ' ἔχεις
τὸ παιδίον, τὴν γραῦν.[4])

Demeas Chrysidi ancillas tribuere videtur[5]):

v. 166 s.[6]) ἔχε]ις τὰ σαυτῆς πάντα· προστίθημί σοι
ὁρᾷς, θ]εραπαίνας, Χρυσί.

In Agricolae fragmentis, quae praebet papyrus Genavensis[7]), Davum conservus mutus sectatur[8]), qui flores aliaque munera nuptialia (v. 36ss.) in aedes portare iubetur:

v. 39 s. ὁ Σύρος, εἰσένεγχ' ὅμως
πάνθ', ὡς ἃ φέρομαι ταῦτα πάντ' εἰς τοὺς γάμους.

Quem servum his verbis nominatum v. 39 demum ex aedibus egressum esse aliosque servos Davum a foro redeuntem comitari I. v. Leeuwen[9]) et Carolus Dziatzko[10]) suspicantur; cui sententiae,

---

1) cf. R. Graf, Szenische Untersuchungen zu Menander. Diss. Giess. 1914, p. 60; Wilamowitz, Men. Schiedsger. p. 48 adn. 1. 2) cf. v. 220s.

3) Wilamowitzius suppl.: τοὺς μισθουμένους.

4) Infantulum a pupa repraesentatum esse verisimile est; cf. puerulum, quem Syrisci mulier tenet in Disceptantibus. 5) cf. Wilamowitz, SBBerl. 1916. I. p. 70.

6) v. 167: δύο suppl. Leeuwen; ὅθεν θεράπαινα Sudhaus.

7) Pap. Genav. 155.

8) cf. Kaibel, Nachr. der Gött. Gesellsch. d. Wiss. 1898, p. 155.

9) Mnemosyne 1898, p. 299—313.

10) RhM. LIV (1899), p. 501 (adnot. ad v. 39), p. 510.

cum ex comici verbis complures famulos adstare nequaquam cognosci possit, obloquor.

Adulescentes, qui in Citharista[1]) colloquentes in scaena adsunt, a servis nonnullis deducuntur, ex quibus unum aliquas res in aedes portare alter iuvenis iubet:

v. 51 s. ταῦτα δὲ
εἴσω τις ἀ[γέτ]ω τὴν ταχίστην ἐκποδών.

In fabula Adulatoris[2]), quae data est intra annos 316 et 312[3]), mutae personae v. 100 commemorantur. Versum 100 supplevit Leo[4]):

πα[ῖδες], ἐκτριβ[οίμεθ' ἄν.

Leo, qui hos versus non lenoni, sed militi cuidam tribuit, his verbis non mutos servos, sed milites amicos, qui inter colloquentes sint, compellari credit. Sed cum Iensenius[5]) docuerit soliloquium lenonis hisce versibus esse servatum, non dubito Grafium[6]) sequi censentem illis verbis famulos mutos appellari.

In fragmentis Perinthiae diverbium Lachetis domini et Davi famuli ad nos pervenit[7]). Tres servos mutos Lachetem esse secutos conicere licet ex poetae verbis. Pyrrhias servus nominatur

v. 1 σὺ δ' ἀκολούθει [Πυρρία.
v. 7 s. προσέρχεται
ὁ Πυρρίας ὅσον γε φορτίον φέρων.

Tibeus et Getas ministri nomine appellantur a Davo conservo

v. 3 ὦ Τίβειε καὶ Γέτα.
v. 4 ss. ἀφείητ' ἄν, Γέτα,
σύν]δουλον ὄντα καὶ διασῶσαι[τ'; ο]ὐ πάνυ;
οὐκ] ἄν μ' ἀφείητ', ἀλλὰ περιόψεσθέ με;

Getam servum inter loquentes fuisse Leo[8]) opinatur illi famulo v. 2 attribuens, quem versum hoc modo supplevit: ἀπόλωλ]ας; ἔξεισιν φέρων. Cum autem personarum vices hoc loco non indicentur, ille versus est Davi; tres igitur ministri a mutis personis repraesentantur, quos omnes Laches v. 10 dicit:

περίθετ' ἐ[ν] κύκλωι ταχύ.

---

[1]) Pap. Berol. 9767; BKT. V. 2, p. 115.
[2]) Pap. Oxyr. 409 et 1237.
[3]) Körte; Iensen, l. c. p. LIV.
[4]) Nachr. d. Gött. Gesellsch. d. Wissensch. 1903, p. 673ss. — Iensen suppl.: πά[νυ γὰρ] ἐκτριβ[ήσεται.
[5]) l. c. p. LIII.
[6]) l. c. p. 59.
[7]) Pap. Oxyr. 855.
[8]) Hermes XLIV (1909), p. 143.

Summarium.

Postquam in omnibus fabulis, quae ad nos pervenerunt, ex illis, quae poetae indicaverunt, omnes mutas personas, ubicumque scaenam ingressae sint et quot fuerint, exquisivimus, ei rei cura adhibenda est, ut explanemus, quae genera mutarum personarum tragici et comici induxerint poetae et qua ratione illis usi sint.

In tragoedia omnes personae honore ac nomine illustres complures ministros mutos secum ducunt. Quod mutarum personarum genus in omnibus fabulis invenimus Prometheo Aeschyli excepto[1]. In Aeschyli fabulis Suppl., Pers., Sept. c. Th., Ag., Choeph. mutae personae nisi muti satellites non producuntur. Poetae tragici illa *κωφὰ πρόσωπα* producentes non solum id unum spectant, ut aspectu multarum personarum in orchestra versantium, quae saepius quam pauci actores mutari possunt, scaenae varietatem quandam praebeant et actionem vividiorem et efficaciorem faciant, sed etiam id maxime intendunt, ut auctoritas ac potestas earum personarum, quae a mutis personis deducuntur, eminentior fiat, praesertim cum Athenienses assueti sint, ut cives nobiles cum nonnullis vel potius cum compluribus servis in publicum prodeunt[2]. Homines infelices, vel victi vel supplices, sine mutis satellitibus in orchestram inducuntur; ut exempla quaedam afferam: Xerxes rex victus in Persis sine comitibus, qui in ceteris fabulis reges sequuntur, progreditur; in Euripidis Supplicibus Adrastus supplex solus adstat; in Aeschyli Supplicibus dignitas Danai, quem supplicem satellites non comitantur, manipulo militum, quos Pelasgus ei praebet, augetur. — Illi famuli officio servorum functi res, quae adportandae sunt, afferunt vel personas, quas poeta intrantes facit, arcessunt vel alia mandata exsequuntur. Numerum illorum satellitum saepe magnum fuisse perspicimus, cum ministri, ut alii aliud faciant, orchestram domini iussu relinquant. Copiam mutarum personarum quibus uti poetis licebat, permagnam fuisse in aperto est; hoc vel ex iis fabulis intellegi potest, in quibus Sophocles et Aeschylus populum in orchestram inducunt[3].

Praeter eas, quae concluso agmine comites personarum colloquentium in scaenam ingrediuntur, multas singulas mutas personas in tragoediis produci vidimus. — Singuli pueri a mutis personis

---

[1]) Illud satis est momenti, ut summum ei pondus attribuamus. Quae cum ita se habeant, non est quod recusem opinionem Gualtheri Kranz aliorumque virorum doctorum (cf. p. 13 huius dissertationis), qui hanc Aeschyleam fabulam a poeta ignoto vel ab histrionibus retractatam esse persuasum habent.

[2]) De virorum comitatu cf. Dem. Mid, 158; Xen. Memorab. I. 7, 2; de mulierum comitatu cf. Aristoph. Eccl. 593; Lysias Diog. 16; Plut. Phoc. 19; Athen. XII p. 582 B.

[3]) Aesch. Eum., Choeph., Sept. c. Th.; Soph. Oed. R.

dati, qui primum in Sophoclis Antigona introducuntur, saepissime in Sophoclis et Euripidis fabulis in conspectu versantur[1]). Saepe etiam parvus histrionum numerus, quo contentus esse poeta cogitur, efficit, ut *κωφὰ πρόσωπα* adhibeantur; quin etiam poeta, cum sermones ita disponendi sint, ut nusquam plures quam tres personae inter se colloquantur, partes personae, quae in priore fabulae parte iam ab actore repraesentata erat, mutae personae dare coactus est. Coactus poeta illa *κωφὰ πρόσωπα* producit, cum omnes personas, quas prodire necesse est, nisi hoc modo producere non possit. — Animadvertimus enim personam aliquam, quae in priore parte fabulae inter colloquentes erat, eo loco, quo una cum personis quae loquuntur tribus in orchestra conspiciatur, nulla verba facere. Muta igitur persona poetae exhibenda est, quae habitum personae, cuius partes adhuc histrio agebat, inducit. Quae cum proloqui non possit, tacet interrogata, histriones pro ea tacite adstante respondent, ut perspicuum sit causam in definito actorum numero esse positam.

Cum similitudines comparantis magnopere interesse videatur, infra mutas personas huiusce generis, quo omnes poetas tragicos usos esse facile est intellectu, in tabula componam.

Partes, quas poeta, cum actores publico sumptu adhibiti iam adsint, mutis personis tribuere cogitur.

Partes, quas per totam fabulam *κωφὰ πρόσωπα* agunt.			Partes, quas in nonnullis partibus fabulae mutae personae, in ceteris histriones agunt.		
Aesch.	Prom.:	Robur	Aesch.	Cho.:	Pylades 892- fin.
	Eum.:	Mercurius		Niobe:	Niobe (?)
Soph.	Ant.:	puer Tiresiae		Phryg.:	Achilles (?)
	Ai.:	Eurysaces	Soph.	Ai.:	Tecmessa 1168- fin.
	Oed. R.:	puer Tiresiae, Antigone, Ismene.		Oed. Col.:	Ismene 1099-1585
	Trach.:	Iole	Eur.	Alc.:	Alcestis 1008- fin.
	El.:	Pylades		Andr.:	Molossus 309ss.
Eur.	Alc.:	Perimele		Suppl.:	Filii heroum initio fabulae a *κ. πρ.* dati v. 1144 chorum auxiliarium constituunt.
	Med.:	liberi		Iph. T.:	Pylades (vel Orestes) 1222—1233
	Heracleid.:	Acamas		Or.:	Hermione 112—125, Pylades, Hermione, Electra 1567- fin.
	Hec.:	liberi Polymestoris		Ant.:	alter frater (in exodo fabulae)
	Herc.:	Herculis filii		Hyps.:	alter frater (in exodo fabulae).
	Troad.:	Astyanax			
	El.:	Pylades, Pollux			
	Hel.:	alter Dioscurorum			
	Phoen.:	filia Tiresiae			
	Iph. Aul.:	Orestes			
	Hyps.:	Archemorus			

[1]) Pueros et mutos et loquentes collegit C. Haym, De puerorum in re scaenica Graecorum partibus. Hal. Diss. phil. XIII. 1 (1897), p. 219ss.

Varietas mutarum personarum, quae in primis Aeschyli fabulis exigua erat, in Orestia et in Sophocleis Euripideisque fabulis aliquanto augetur; multo autem maior est in comoediis Aristophanis, qui in omnibus fere fabulis[1]), quas possidemus, multas et diversas mutas personas, quae saepissime mutatae actioni vigorem atque alacritatem praebeant, in scaenam vocat. Qui color ut fabulis inducatur, poetae comico multae personae praesto fuerunt, quas utut voluit scaenae adducere potuit. Quamquam Aristophanes saepe quarto histrione vel parachoregematis, quae inter colloquentes sunt, utitur, tamen magna mutarum personarum copia in fabulis progressa est. Tibicines et meretrices, quas lenones parvo praebuisse vel vendidisse verisimile est[2]), poeta loquentes producere non potuit; quibus servis verba facere non licuit. Sed non solum illi homines obscuro loco nati muti in orchestra versabantur, sed etiam eas personas, quas a parachoregemate, cum partes earum non tam graves essent, ut choregus actorem extra ordinem ascitum praeberet, dari necesse non erat, *κωφὰ πρόσωπα* repraesentant. Ut tragici, sic Aristophanes saepissime partes ministrorum ac puerorum mutis tribuit personis. Praeterea invenimus varia mutarum personarum genera, quae primus Aristophanes induxit. Illa genera, ut similitudines comparentur, infra in tabula componam: opifices, testes, legati, viri munere publico fungentes.

Ut afferam, quibus rebus Aristophanes *κωφὰ πρόσωπα* inducens praecipue differat a tragicis, id omnino respiciamus quomodo poetae mutas personas indicent. In Aristophanis comoediis actores vel chorus mutas personas semper alloquuntur vel eas appropinquantes verbis indicant, ut sine ullo dubio constet *κωφὰ πρόσωπα* conspici. In tragoediis *κωφὰ πρόσωπα* non semper voce compellantur; saepe ea ingressa esse animadvertimus tum demum, cum actores de iis loquuntur et cum ex verbis intellegi potest actores curru vectos vel de itinere reversos, ut nonnullos comites secutos esse opus sit, orchestram intrasse. — Quando autem mutae personae scaenam relinquant, saepissime in incerto habetur; et in tragoediis et in comoediis non animadverti potest mutas personas egredi. Verbis igitur Mauritii Haupt[3]): „nihil autem fere fit in Graecorum tragoediis comoediisque quin fieri simul indicetur oratione“ modus est imponendus; personae, quarum partes non actores publico sumptu adhibiti, sed *κωφὰ πρόσωπα* agunt, abeuntes plerumque non commemorantur[4]).

---

[1]) Pluti fabula excepta, quae iam ad mediam quae dicitur pertinet comoediam.

[2]) cf. Wilamowitz, Aristoph. Lysistrate. adnot. ad v. 1114.

[3]) M. Haupt, opusc. II. p. 460.

[4]) cf. C. Robert, Hermes XXXIII (1898), p. 570s.

Menander tragicos quinti saeculi secutus mutis personis utitur. Ex fragmentis quae sunt servata cognosci potest dominos a servis, quorum partes *κωφὰ πρόσωπα* obtineant, stipatos esse. Neque vero multos, sed paucos — non plus quam duos — ministros cum actoribus in scaenam progressos esse vidimus, quoniam comicus personas non in orchestram, sed in scaenam, quae angustior est quam ut tot mutae personae quot poetae quinti saeculi adhibuerunt agere possint, inducere coactus est. Quo modo poetae comici Romanorum, qui imitati sunt comoediam Graecorum, mutis personis usi sint, hac in dissertatione, cuius est quaestiones ad *κωφὰ πρόσωπα* Attici theatri pertinentes perquirere atque tractare, mihi disserendum non est.

Addendum.

Mentione Niobes Aeschyleae fabulae facta (p. 19) Nioben per tertiam fabulae partem a muta persona actam esse opinatus sum. Me falso suspicatum esse fragmenta docuerunt nuper reperta, quae G. Vitelli et M. Norsa ediderunt[1]). Efficitur enim ex novis fragmentis, ut Niobe silentio rupto chorum affata sit[2]). In 21 versibus servatis chorus appellatur; personam quae Tantalum agat ingressuram esse v. 10 indicatur

μάτην] μὲν ἥξει δεῦρο Ταντάλου βία.[3])

Alias personas non adfuisse ex verbis, quibus Niobe ad chorum se convertit, concludimus Alfredum Körte secuti

v. 5 *αὐταὶ] δ' ὁρᾶτε τοὐπι[τ]έρμιον γάμου·*
v. 14 *κἀγὼ πρ]ὸς ὑμᾶς — οὐ γάρ ἐστε δύσφρονες.*[4])

Ni ita res se haberet, Niobe non illis verbis chorum allocuta esset. Quod nisi aliae personae in scaenam producuntur, sequitur, ut poeta muta persona, quae Nioben agat, non utatur. Actio deest initio fabulae quamquam actor adest. Id enim Euripides in Ranis ab Aristophane in scaenam adductus reprehendit, quod Niobe muta adfuerit, imprimis autem quod chorus solus per magnam partem tragoediae cantaverit atque egerit[5]). Euripides quoque saepissime personas tacentes in orchestram mittit; Alcestidem, ut exemplum quoddam afferam ex multis hac in dissertatione collatis, per magnam fabulae partem tacuisse quis nescit?

---

[1]) G. Vitelli et M. Norsa, Bull. de la Soc. Arch. d'Alexand. 28, 127ss.; C. Latte, GGN. 1933, p. 119 ss.; A. Körte, Hermes LXVIII (1933), p. 249 ss.

[2]) Curtium Latte, qui hos versus nutrici cuidam attribuit (l. c. p. 126), Alfredus Körte (l. c. p. 253) refutavit ex re ipsa.

[3]) *μάτην* suppl. Körte: *καὶ νῦν* Latte.

[4]) v. 5 *αὐταὶ* suppl. Körte, *ἤδη* Latte; v. 14 *κἀγὼ πρ]ὸς ὑμᾶς* suppl. Körte, *ἀλλ' οὖν πρ]ὸς ὑμᾶς* Latte.

[5]) cf. Körte, l. c. p. 264.

Vita.

Natus sum Carolus Gerhardus Eduardus Ernestus Richter Kiloniae Holsatorum a. d. IX Kal. Apr. a. h. s. X patre Ernesto matre Elsa e gente Köhler, quo utroque superstite gaudeo. Civitate Borussus fidei evangelicae addictus sum. Vere anni 1916 in Guilelmi portu ad mare Germanicum sito in progymnasium, vere anni 1919 in gymnasium receptus ab autumno eiusdem anni gymnasium municipale Halense frequentavi; scholae cursu rite peracto vere anni 1928 maturitatis testimonium adeptus sum. Civibus academiae Halensis adscriptus philologicis et geographicis studiis me dedi. Post quater sex menses vere anni 1930 Halis discessi, ut per sex menses Kiloniae easdem litteras colerem; autumno eiusdem anni ad studia perficienda Halas reverti.

Docuerunt me viri docti

Kiloniae: Harder, Jacoby, Prinz, Wegemann.

Halis: Diehl, Geisler (nunc Vratislaviensis), Karo (nunc Atheniensis), Kern, Koch, Menzer, Schlüter, Siedentop, Specht, Utitz (nunc Pragensis), comes Uxkull-Gyllenband (nunc Tubingensis), Weber (nunc Berolinensis), Ziehen (nunc Mattiacensis).

Proseminarii philologici sodalis fui per tria semestria, seminarii philologici per duo semestria moderantibus Ottone Kern et Ernesto Diehl praesidibus.

Viris qui me docuerunt omnibus gratias ago quam maximas, praeter ceteros autem gratiam habeo semperque habebo Ottoni Kern praeceptori, quippe qui summa erga me benignitate studiis meis faverit et omni modo me adiuverit in hoc opusculo perpoliendo.

Genera mutarum personarum ab Aristophane scaenae adducta

	I mutae personae quae colloquentes induci non potuerunt.	II mutae personae quas colloquentes induci necesse non erat.						
		a) genera a tragicis adhibita			b) cetera varia genera			
	meretrices, tibicines	1. cives	2. servi et servae	3. pueri	1. opifices	2. testes	3. legati, magistratus.	4. mulieres
Ach.	tibicines Boeoti 860; meretrices 1198	cives 40	servi Dicaeopolidis; servus Boeoti 860; servi Lamachi 1090.				Prytanes 40; legati 61, 91, 134; Scythae 40; agoranomi 723, 860.	uxor Dicaeopolidis 243; nupta 1048; uxor et filia 1003.
Eq.	*αἱ Σπονδαί* meretrices 1389		servi 1407	puer 1384				
Nub.			servus 1485		discipuli Socratis 187.	testis Pasiae 1214.		
Vesp.	tibicina 1326; tres saltatores 1500, 1505, 1508.	convivae 1326	servi Bdelycleonis; canes (reus et accusator) 891.	pueri chorum sectantes 230-414; catuli a pueris dati 976.		testes canis accusatoris 937; testis Chaerephon 1408; testis in lite civis accusatoris adhibitus 1417.		
Pac.	Opora et Theoria meretrices 523			puellae 114	opifex 1197; venditores 1210; opifices chorum iuvantes.			
Av.	aves tibicines 267—293; Procne tibicina 665; Chaeris tibicen 858; *Βασίλεια* 1720.		ministri Euelpidis et Pisthetaeri; famuli Epopis.					
Lys.	Diallage muliercula 1114; [mulieres Boeotia et Corinthia 78] tibicen 1242.		famulus Cinesiae 845; servi 1216.				Probuli satellites et Scythae 424; legati Athenienses et Lacedaemonii 1079, 1082.	mulieres 65 ss.
Thesm.	Elaphium saltatrix 1160; Teredo tibicen 1160.		Threissa 279				sagittarius 929.	
Ran.	crotalistria 1305.	cives 170	ancillae cauponarum 549; servi Aeaci 605; ministri 847.					mulieres chori comites.
Eccl.			servi 730					mulieres 32, 41, 40, 49, 51.
Plut.			servus 823.			testis 850.		